Winch S-3995

ELENCHI
MOTUUM NUPERORUM
In *ANGLIA*, Pars III.
SIVE,
MOTUS COMPOSITI.

UBI

Illustrissimi *G. MONCHII* *Albemarliæ Ducis*, è *Scotia* Progressus;

Nec non Augustissimi

CAROLI SECUNDI

In *Angliam* Reditus,

Ejusdémque REGIÆ Majestatis per Decennium gesta fideliter enarrantur.

Authore THO. SKYNNER, *M. D.*

Incorruptam fidem professis nec amore quisquam, & sine odio dicendus est. Tacit. Hist.

Non pigebit vel incondità, ac rudi voce, memoriam prioris servitutis, ac testimonium præsentium bonorum composuisse. In vita Agric.

LONDINI,
Excudebat *Guil. Godbid*, prostant autem venales apud *Mosem Pitt* ad Insigne *Angeli* in Cœmeterio D. *Pauli*. 1676.

Sept. Iduum Februar.

1676.

IMPRIMATUR.

Henr. Oldenburg.

Wing S-3992

ELENCHI
MOTUUM NUPERORUM
In *ANGLIA*, Pars III.
SIVE,
MOTUS COMPOSITI.

UBI

Illuſtriſſimi *G. MONCHII*
Albemarliæ Ducis, è *Scotia* Progreſſus;

Nec non Auguſtiſſimi
CAROLI SECUNDI
In *Angliam* Reditus,

Ejuſdémque REGIÆ Majeſtatis per Decennium geſta fideliter enarrantur.

Authore THO. SKYNNER, *M. D.*

Incorruptam fidem profeſſis nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt. Tacit. Hiſt.

Non pigebit vel inconditâ, ac rudi voce, memoriam prioris ſervitutis, ac teſtimonium præſentium bonorum compoſuiſſe. In vita Agric.

LONDINI,
Excudebat *Guil. Godbid*, proſtant autem venales apud *Moſem Pitt* ad Inſigne *Angeli* in Cœmeterio D. *Pauli*. 1676.

Viro Illuſtri,

D. *Joſepho Williamſonio*

EQUITI,

Auguſtiſſimo *CAROLO* II.
in Sanctiori Senatu Conſiliario,
& Secretario Principali.

S.

QUòd Te publicis Regni utilitatibus invigilantem, & à REGIA MAJESTATE *in partem curarum aſcitum, ſcriptis ego meis interpellare ſuſtineam, eadem Tua humanitas, quæ verecundo animos addidit, deprecanti (uti ſpero) indulgebit.*

Nec est quod IMPORTUNITATI *meæ magis, quàm* AUDACIÆ *veniam obtestarer, dum Privatus ego de rebus Publicis loquar; dum homo in umbrâ, & recessu abditus ad summa enitar, & maximarum rerum filum contexero: Téque tot linguarum peritiâ, sed Latinâ imprimis elegantiâ, & facundiæ gloriâ præstantem, impedito, & rudi scribendi stylo invocem.*

Sed tali mihi opus est FAUTORE, *qui in rerum gestarum serie errantem informaret, erudiret incultum, cæterisque à livore protegeret: quod non alibi quàm à Tuâ ante omnes humanitate sperare licet.*

Neque

Neque aliud mihi optabilius erat, quàm Te felicem olim Musarum ALUMNUM, *jam* PATRONUM *nuncupare. Non Aulicis artibus, nec fortunæ munere, sed Tuâ imprimis virtute, & claritudine ingenii, ad summum Publicarum rerum fastigium evectum: Aulicâ florentem comitate, sed nativo magis candore, & fide plus quàm Aulicâ.*

Loquor occidentium Proditorum *supremos impetus, &* civilium malorum *exitum; loquor arcana vindicis* ALBEMARLII, *& involuta consilia; Triumphalem* OPTATISSIMI REGIS *Reditum, &* Decennale Imperium *loquor; cuncta*

(*si unquam aliàs*) *inter* ANGLORUM *Annales, magna, & memorabilia. Sed Tua in rebus publicis Prudentia, & Auſpicia Tua, haud minora futuro olim Hiſtorico dicenda pollicentur.*

Vivas interim SPECTATISSIME DOMINE, *decus ſeculi Tui, & futuri exemplum: vivas* REIPUBLICÆ *non neceſſarius magìs, quàm celebris, &* SERENISSIMI CAROLI *rebus, & Literarum Patrocinio, quàm feliciſſimè præſideas.*

Dabam
Calend.
Januar.
1676.

Ita obnixè precatur

Honoris Tui cultor
humillimus,

Tho. Skinner.

In Eruditiſſimi

T. SKINNERI

Doctoris Medici

COMMENTARIOS.

SKinneri *Hiſtoriam cum* Fama *tuliſſet ad* Aulam
Phœbi, Romano *dixit* Apollo *ſuo:*
Romæ Dictator *potuiſti* Magne *Labori*
Parcere, Skinnerus *nam tibi* Scriptor *adeſt.*
Erubuit Cæſar, Tacitum *vultúque remiſſo*
Reſpiciens, dixit, nunc mea Roma *Perit!*
Et nunc Roma *perit! Superatur* Roma Britannis,
Surgens Arctöo *jam Nova* Troja *Polo.*
Cæſaream *ſuperans* Generoſa Britannica Proles:
Fam Thameſi Tyberis *cedere jure poteſt.*
Deſine mirari, Cæſar, Cornelius *inquit*,
Aut Romæ *invictæ* Fata *dolere tuæ.*
Mutant Romani *ſedes*, Tacitúſque Skinerum
Incolit, & Cæſar Carolus *alter erit.*

Trajan. Boccalini.

T. SKINNER

Doctoris Medici

COMMENTARIOS

In Viri Clariſſimi

THOMÆ SKINNERI

Medicinæ Doctoris

Elegantiſſimos Annales.

FOElices Animæ, *quarum Inclyta & Ardua facta,*
Skinneri *Calamo, longum celebrantur in* Ævum.
CAROLUS *Imperio nunc* Primus *in Orbe* Britanno,
Primus *in* Hiſtoriâ Skinnerus: Fauſtus *Uterque!*
CAROLUS Hiſtorico, Skinnerus Lemmate Fœlix!
Fœlix *qui* CAROLI Magni, Magniq; JACOBI,
Et Monachi, *Pia* Facta *refert!* Fœlicior *ille*
Æternæ *tradens aliorum Nomina* Famæ,
Reddidit ipſe ſuum Victurum in Sæcula *Nomen;*
Optimus eſt Medicus Vitam *poſt* Funera *Reddens.*

Sic negante Naturâ

F. Bernard.

ELENCHI
Motuum Nuperorum
IN
ANGLIA
PARS TERTIA:
SIVE,
Motus Compoſiti.

CIVILE Bellum apud *Anglos* ab exitiabili PARLAMENTO cepit. Quod ubi vario præliorum exitu, per octennium deflagrâſſet; concidentibus undique Regiis copiis, & caſtris exutis, Rex optimus *Carolus primus* (ſummæ ſed calamitoſæ virtutis Princeps) victricia fugiens *Independentium* Anglorum arma, *Preſbyterianis* Scotorum caſtris, fato, an conſilio ſeſe permiſit. Ubi a proditoribus Scotis (accepto imprimis ingenti perfidiæ pretio) Anglorum manibus deditur.

Præteritorum Anacephalaoſis.

Praterito-rum Anace-phalæoſis.

Nec longùm, quin documento fuerit, haud multùm diſtare, captivorum Regum, cæſorúmque ſortem.

Nàm (quod omnium retro ſeculorum flagitia ſuperat, & futurorum fidem) dominanti imprimis *Cromvello*, *Jan.* 30. 1648. ſibique imperium ſtruenti, ſub fictâ, & ſcenicâ quâdam legum imagine, adverſi ſideris *Princeps*, ſecuri percuſſus eſt. Quo non aliud ullâ unquam gente audacius, aut atrocius viſum: Et attonito terrarum orbe miraculo parricidii.

Sed hoc facinore tam proſperè habito, & victricibus ſignis *Britanniâ* demùm, *Septemb.* 3. 1650. *Hiberniâque* perdomitis, fractiſque poſt *Dunbarri* & *Vigorniæ* *Et Sept.* 3. 1651. cladem, cunctis *ſecundi Caroli* viribus; diu meditatum ſcelus, machinator doli *Cromvellus* haud ultra deferebat. Noverat enim gentibus inviſum eſſe *Senatum*, longo importunæ dominationis, & flagitiorum tædio. Armis itaque in ſuperbientes Dominos converſis, è comitiis protruſit, *Apr.* 20. 1653. ſuo imprimis irriſu, deinde populi ludibrio. Quod ſolum facinorum Reipublicæ gratum.

Et jam rerum arbiter *Cromvellus*, &

& lenti ſceleris impatiens, ſub Protectorii nominis faſtigio, ſceptri potitus eſt. Majorem interim ſe rege ferebat, omiſſo nomine & ambiguus regnandi, quantumvis ſpecie recuſantis, flagrantiſſimè cupiverat. Dolo, quàm virtute potior, fortitudinem enim per vices, & intervalla habuit, ſimulationem præſentem uſque, & nativam perfidiam.

Præteritorum Anacephalæoſis.

Cromvellus *Protectoratum capeſſit.*

Poſtquam cuncta cædibus, & ſanguine, exiliis, latrociniis, atque omni mortium imagine, per quinquennium compleviſſet: Hoſtibus atrox, falſus ſuis, domi intutus, foriſque ſpretus, omnibus gravis, moleſtus ſibi, inter vaniſſimorum hominum concionales præſtigias, inter abditos ictus, & ſcelerum laniatus, enthuſiaſticâ rabie percitus, & motâ furiis mente, ſupremum diem explevit: diem ſcilicet ipſi olim duabus *Britanniæ* cladibus feſtum, nunc tandem Reipublicæ feſtivum.

Moritur Septemb. 3. 1658.

Imperio ſummis utique ſceleribus quæſito, ſucceſſit *Richardus* filius, per omnia patri diſſimilis & fortibus conſiliis impar. Cui judicium non niſi juſſum erat, inditúmque: Adeóque

Succedit Richardus:

Præteritorum Anacephalæoſis.

alienæ obnoxius perfidiæ, ut ex ſequentibus brevi comparuit ſolam defuncti *Cromvelli* mentem tantæ molis capacem fuiſſe.

Dignitati impar.

Nam exauctorati olim Democraticarum partium Tribuni, quibus magis *ſenatorii ordinis*, quàm *protectoralis imperii* deſiderium fuit, cum jam finis adeſſet, & ſpes nova, paternas in ſe injurias, filii excidio ulciſcebantur. Et *Richardi* facilitate in arrogantiam, & faſtidium uſi, de mutando in REMPUBLICAM rurſum *protectoratu* ſedulam navârunt operam.

A Democraticis Tribunis contemnitur.

Cum illis conjuravit Richardi *affines.*

An conſcii magis, an magis illuſi *Richardi affines*, & *conſiliarii* ipſum tandem fataliter illuſerunt. Et *Democraticorum* perfidiæ comites, alienæ ambitioni prætendebantur. Juſſus inde à ſuis *Richardus* (quem nuper vocaſſet) *Senatum* dimittere, rerum ſuarum ſpem unicam, & rebellium Tribunorum metum: Suorum ſerò perfidiam, aut inſcitiam ſenſerat, damnavitque credulitatem ſuam. Occiduis indè *Richardi* rebus, & affinitatibus *Fleetvodo*, & *Deſborovio* per vanitatem, aut perfidiam ſeductis, exauctorati olim LAMBERTI potentia graſſa-

Lambertus, *&c. in Exercitum redit.*

graſſabatur: Et ſociatis in ſpeciem laboribus, Reipublicæ conſilia tractabant; animo utique diverſo, ſed ſtudio pari; at quæ apertiùs *Fleetwodus*, *Lambertus* callidiùs agitabat. *Præteritorum Anacephalæoſis.*

Hinc reſtaurati in gradum Ductores, quos ab exercitu olim ſenior *Cromwellus* ſummoverat. Et *Richardi* legiones ante rapuêre quàm imperium. Sed ne ſcelus haud ritè fieret, in *ædibus Jacobiæis* preces inſtituunt, ſolita proditorum præludia. Ubi ſupplicantibus multi nominis *Independentis* ſectæ concionatoribus, perfidiæ teſtis, advocatur in ſcenam Deus. Quique nuperrimè pro decumbentis *Cromwelli* ſalute vota nuncupâſſent: teterrimâ comprecantium fraude, de exauctorando filio deliberabant.

Sed dum deſtinata nuper facinora in tempore maturarent: PSEUDOSENATUM, quem ſex retro annis, ſuis ipſorum manibus, *Cromwellus* obtorto collo è foribus protraxerat, (fœdiſſimo levitatis oſtento) ad *ſummi ordinis* dignitatem denuò promovebant: Gregem hominum Reipublicæ ſpoliis infamem, atque omni improbitate, impudentiâ & avaritiâ fœdè maculoſum: Pſeudoſenatus *à Tribunis reſtauratur:*

Præterito-rum Anace-phalæoſis.

Adeóque populo univerſo per flagitia inviſum: ut factu facillimum eſſet, Imperii ſpectra paribus viciſſim laſciviis vel attollere, vel deprimere.

In tempore iterum rejicien-dum.

Jámque ad Rempublicam iterum admoti *Patricii latrones*, haud invito animo, nota conſcendunt ſubſellia, & *Cromvelliana* imprimis perfidiæ memores, pendulum adhuc, nutantémque *Richardum* de faſtigio deturbant. Et protectoralem Juvenem, tremulum, & de ſolio labentem in privati ſortem proſternunt. Quaſi congeſtâ in *Cromvellos* infamiâ, ſuum inde dedecus levaretur.

Richardum *ſummovet.*

De exequialibus defuncti Patris impenſis, (quibus Regum funera ſumptuoſus latro ſuperaverat) & de creditoribus ſuis rationem exquirunt: nullâ interim ſolvendi curâ, ſed mendicitatis ſuæ ludibrio; vel opprobrio luxuriæ.

Mox illudit.

Senatorum plures ſemetipſis minùs nocentes, aut improbis conſiliis adverſos, ſtipatis foribus è Comitiis excludunt. Mox evulgato novi Imperii arcano, quod impudentiâ, juxta, ac vanitate nuncupârunt *BONAM ET ANTIQUAM CAUSAM.*

Suorum *plures excludit.*

Feralis

FEralis iterum SENATULI conſeſſus initium mihi operis erit. Jámque Reipublicæ imprimis exitio, ſuorum ſaluti conſulitur. Et à militibus olim præcluſi (quorum in longum memoria fuit,) contra futuras forſan potentium Tribunorum inſidias, ſummam in exercitu authoritatem ſuo potiſſimùm imperio reſervabant. Et Senatuli Oratorem *Lenthalium*, cathedratum Imperatorem conſtituunt. Atque deletis legionum Ductoribus qui Protectorale faſtigium tuebantur, ex Democraticâ colluvie novos ſcribunt.

1659. *Maii* 8. Senatulus *Tribunorum potentiam præoccupat.*

Sed ante deſtinata componam, mihi & lectoribus operæ pretium foret, rerum apud *Anglos* ſtatum paulò curatiùs differere.

Aderat ubique *Cromvelliorum* fatum, *Londini* enim ſubmiſſis *Richardi* faſcibus, *Henricus* frater (regendis Hiberniæ terris à patre impoſitus) & fraternam ſecutus vecordiam, jubenti Senatulo, arma & imperium tradidit: ſuccedenti *Ludlovio* Tribuno, homine improbè feroci, & partibus fido.

Senatulo *ſubmiſit* Henricus Cromv. *Hiberniæ:*

Scotiæ Præfectus MONCHIUS, vir annalibus noſtris ſæpè memorandus,

Et Scotiæ Monchius:

1659. *Et classis sub Lausonio.*

Pseudosenatui fidem præstabat. Idem classis, & Subpræfecti *Lausonii* obsequium.

Anglicanas interim legiones, & urbanum militem *Fleetvodus*, *Lambertúsque* (spreto *Cromvelliorum* sacramento) in *Senatuli* fidem obstrinxerant.

Fleetvodi mores.

Majoris *Cromvelli* gener *Fleetvodus* fuit, levissimæ in armis famæ, sed concionandi, precandique validus; Imperii vicem post soceri obitum speravit, à veteratore *Cromvello* successoris spe illusus; eóque *Richardi* excidium, si non lætus, certè lubens admisit.

Lamberti ambitus.

Aliam sibi morum viam *Lambertus* finxerat: Superbientem animum subdolâ modestiâ tegens; & qui cuncta imperio viliora habuit. *Cromvelli* olim amicitiâ florentem, suo magis, an uxorio ambitu, haud definiam. Nec infensus seni ferebatur, dum successorem alibi, quàm domo suâ, & adoptionem in exercitu (ubi præ cæteris eminuisset *Lambertus*) speraret. *Cromvelli* necessitudines principatui minores imparésque secretò contempserat: Unicum sese superesse reputans, summum ad fastigium natum. Quod

postea

1659.

poſteà *occultior*, non *melior*, attentavit potiùs, quam habuit.

Malè coërcitam *Democraticorum* rabiem, qualiſcunque vivi adhuc *Cromvelli* reverentia frœnaverat. At convulsâ *Cromvelliorum* domo, talis erat Britannicarum rerum ſtatus: Nuſquam inter parricidas fides, nec amor aderat, nuſquam judicium, nec veritas. Sine mente, ſine fide, rabidi, & inſtabiles Tribuni, poſthabitâ famæ, aut honeſti curâ, privatas ſpes agitabant. Suſpecta inter ſe dominantium poteſtas, & vile ubique decus publicum. Idemque *Cromvelli* exercitus Imperatoriæ domûs deſertor, & proditor, *Protectoratum*, quem perjuriis extulerat, tanquam pulchrum, & memorabile facinus, delevit perfidiâ.

Luctuoſus R. P. ſtatus.

Ex militum *perfidiâ.*

Idem apud vulgum animorum habitus, ut *Pſeudoſenatum* flagitiorum olim famâ cognitum, jámque Tribunorum ſcenæ inſervientem, plures (novis ex rebus læti, aut *Cromvelliorum* odio) vellent, paterentur omnes, conſuetudine ſervitii. Cuncta interim *Senatuli* libidine acta, & graſſabatur undique *Fanaticorum* licentia, præſentium malorum terror, & deteriorum præſagia. At

Ex populi *vecordiâ.*

1659.

Optimorum & nobilium pericula.

At quibus aliqua rerum publicarum cura; haud minus peroſæ erant Dominantium *Parricidarum* vices, quàm ſcelera. Pluribus interim periculo erat, quos nobilitas, aut ſuſpecta in *Regem* fides, aut opes, aut inſignis aliqua claritudo, dominantium odiis, vel libidini objecerat.

Regiæ interim militiæ ſuperſtites, ac CAROLI partibus devoti, & facere, & pati fortes, occultò lætabantur. Sæviſſima diu latronum probra, raptúſque, & vincula honeſtâ paupertate ſubierunt, cunctis fortunæ ludibriis, avitæ nobilitatis memores, & inter adverſa, ſalvâ virtutis famâ.

Quanquam fundatum *Cromvelli* imperium, & inconcuſſa ſuorum fides, omni reſtaurandi *regis* operæ toties illuſiſſent: At motis ex rebus *Fanaticorum* diſſidia, & hodiernas *Dominantium* vices haud ſine curâ ſpectabant.

Ex motis rebus Regiorum *ſpes.*

Et jam obnitentibus invicem rebellium ſtudiis, *Regii Proceres* reſumere libertatem occultis conſiliis pepigérunt. Atque ſub liberi frequentiſque *Senatûs* prætextu, CAROLI imperium moliebantur. Ex difficillimo ho-

Regiorum *molimina.*

minum

1659.

minum grege, *Preſbyterianis* aliquot in operis ſubſidium adhibitis, eóque deteriùs, & in omen haud dubiæ cladis erat, ut qui magis ſubvertendis Regibus, quàm reſtaurandis, proſperâ fortunâ uterentur.

Deſtinatâ, cœptâque per omnes *Angliæ* provincias, *Regiorum* conjuratione, Illuſtrium virorum gloria, & pericula inde gliſcebant.

Boothii *Ceſtrenſis inſurrectio.*

Primum inſurgentium impetum Boothius Inſignis edidit, homo egregiè pius, in Ceſtrenſi agro Eques Auratus, nunc Baronicâ Trabeâ nitens. Huic conſilia & opem contulerunt *Derbiæ* & *Kilmurii Comites*, *Middletonius Eques Auratus*; *Inſtructor exercitûs Egertonius*, aliáque minorum gentium nomina, & concitatis ad arma popularibus, lectóque exercitu; *Ceſtriam*, urbem antiquam, quam *Devæ* fluvius rigat, præſidio firmabant.

Bar. De la Mere.

Quibus adjutus.

Ipſe interim *Boothius* duobus equitum, peditúmque millibus inſtructus, per *Angliam* bonorum omnium navatam operam in tam illuſtri auſu circumſpectavit; meliori uſus fide, quàm fortunâ.

Audito tam ſubiti hoſtis exortu, *Sena-*

1659.

Senatulus *terretur.*

Senatulus expalluit. Novi sui nutantisque imperii dubius, anxius præsentium motuum, & imminentium trepidus. Atque magnitudine scelerum omnibus obnoxius, metuebat omnes. Nec *Boothium* unicum hos animos gessisse constitit, *longus post illum ordo fuit, idem petentium decus.*

Parat arma.

Unica interim parricidis audendo salus fuit; certatim itaque armatis ex vulgi fæce ferocissimis ubique Sectariis, auctisque excubiis, & veterano milite per rura, urbesque undicunque volitanti, *Regiorum* omnium subolescentes in promptu impetus, & molimina præoccupabant.

Lambertus *in* Boothium *mittitur.*

Jussus interea est *Lambertus* citato equitum, peditúmque agmine, in *Boothium* incedere. At nulla nocentibus interim Parricidis munimenta satis sunt, quin à *Scotiæ* & *Dunquerchæ* præsidiis militum manus, & ab oppositio *Hiberniæ* littore duæ legiones accerserentur, quibus præibant *Zanchius*, & *Axtellus*. Eorum cum *Lamberto* unionem cum *Boothius* incassum præpediisset; *Nortvicum* prope, uterque exercitus in conspectum venit: Hostem interim defluus per prædictum oppidum amnis continuit. Illius

1659.

Illius pontem *Boothius* valido præſidio muniverat. Ipſe à tergo ſtabat, inſtructâ ſub ſignis acie, ſed numero longè & fato diſpar. Expugnato enim pontico præſidio, tanto turbine victor *Lambertus* in *Boothii* copias proſiluit, ut ſubitus, & agreſtis miles veterem, bellique expertum non ſuſtinuit. *Boothius vincitur.*

Cunctis inde in fugam verſis, *Ceſtriam* urbem *Lambertus* in deditionem accepit. *Boothius* infortunii ſuperſtes ſui, dum fidum quæſiturus latibulum, larvato cultu aufugiſſet: *Neuportæ* notus, & deprehenſus fuit, unde in urbem raptus Londinenſi arce attinebatur. Bonis omnibus (quæ certè haud modica erant) exutus, mox capite plectendus, niſi imminentem *Senatuli* lævitiam majori fato effugiſſet. Nam *Boothianarum* partium vindictam diſtuliſſe magis, quàm omiſiſſe, brevitate imperii videantur. *Et fugit.* *Et capitur. Aug.* 20.

Feſtiva interim trimeſtri *Senatulo* de pulſis, fugat ſque hoſtibus fama fuit: Et ex naſcentis imperii auſpicio, coalita audacia. *Ex victo* Boothio Senatuli *fiducia.*

Adeóque opportuna *Lamberto* fuit *Ceſtrenſis Inſurrectio*, ut inter proſpera ſua duxiſſet. Indè enim nactus (quod tan- *Et* Lamberti *militumque arrogantia.*

1659. tantoperè cupiverat) faſtigium Imperatorium, non tàm de *Boothio* victo, quàm de proculcato *Senatu* triumphare decreviſſet: Namque haud longa erit veteratorum fides, ſuſpecto invicèm *Senatorum* in exercitu, *Ductorúmque* principatu. *Lambertus* interim cunctis privatum modum ſupergreſſus, & cujus immensùm viguit in exercitu poteſtas; Ducum adeo militúmque ſtudia in ſe allexerat: ut Reduces jam, ſubſcriptis *Derbiæ* libellis, (poſtquam falſa & toties irriſa, de ſuo in *Senatum* officio, in Rempublicam fide, populique libertate præfati ſint) Senatores tandem procacitèr rogant, penes *Fleetvodum*, *Lambertúmque* exercitum manere. Quod unicum legionibus & temperamenti, & fidei vinculum foret, & longum inde obſequium.

Orta inter Senatores, Tribunóſque *offenſiones.*

Sept. 16.

Octobr. 5. Idem, ſpretâ *Senatuli* in milites authoritate, *Londini* agentes Fleetvodiani exercitûs Tribuni ſuperbiùs poſcebant: Certi vel aſſequi deſtinata, vel (quod idem foret) defectioni cauſam.

Caſtrenſes has Ductorum inſidias procul ſuboleverant naſuti Senatores haud

1659.

haud ignari quò hæc demùm conſilia ſpectarent. Indè bacchari, furere, minitari.

Primus omnium *Hazelriggius* præfervidi ingenii vir, & acerrimus olim civilis belli concitator, nunc Democratici ſervitii vindex haud modeſtior, comitiis proclamat, *precariam eſſe* PARLAMENTI *authoritatem*, *moliri* Lambertum *res novas*, *Cromvellianæ perfidiæ æmulum*, *quanquam fallendi artes in longum jaciens*, *ſpecie modeſtiæ* Fleetvodum *ad inania facilem prætuliſſet.*

Lamberti *ambitus ab* Hazelriggio *arguitur.*

In duas interim factiones exercitus deceſſerat. Pars longè maxima cunctis ſenatorum conſiliis præeſſe voluit: Altera adhuc *Parlamenti* dignitatem percoluit, & in officio manſit.

Exercitus ſcinditur.

Accenſi inde Senatores ſervitiorum aſpernantes arrogantiam, atque irâ magis, quàm conſilio perducti, ſupremum *ſummi ordinis* imperium ſtrenuè aſſerebant. Nequè ullam in exercitu authoritatem ſuâ majorem pati decreverunt. Et dubiis rebus ultionem auſi (ſi vim forſan Tribuni intentâſſent) nudum proditoribus, & ſterile imperium dedituri, exolutam tributis

Senatulus *furit.*

Tributis Remp. abſolvit. Octob. 10.

Rem-

1659. Rempublicam Senatus conſulto decernunt. Et in acta referre jubent, *neminem invito Senatu, vectigalia, aut ſtipendia cogere vel conquirere: Et ſecùs audentem læſæ Rei-publicæ daturum pœnas.* Quod laboranti pecuniâ exercitu, Tribunorum tandem exitio ceſſit.

Contumaces Tribunos *exauctorat. Octob.* 11.

Nec dùm reſederat *Senatuli* præceps, & inanis furor, quin ex audaciſſimo Tribunorum grege, exauctoratos proclamant *Lambertum, Deſborovium, Berræum, Kelſæum, Aſhfeldium, Cobbetum, Credium, Pacherum,* & *Barrovium.*

Deleto Imperatore, militare concilium *inſtituit.*

Interea loci, *Senatuli* Decreto, *Fleetwodus, Monchius, Hazelriggius, Ludlovius, Waltonus, Morlæus,* & *Overtonus* (abolito Imperatoriæ dignitatis faſtigio) ſuper omnes ubique legiones, ſummum MILITARE CONCILIUM conſtituebantur: Irridentibus interim militibus ſenatorum vanam, & ſine viribus iram.

In Senatulum *conjurant* Tribuni.

Namque à reverſo antehàc in urbem *Lamberto*, exutiſque nuperrimè *Tribunis* certum, & deliberatum erat, *integrâ adhuc & illibatâ apud ſuos authoritate, ire in caſtra, deſtinatis inſiſtere,*

1659.

ſiſtere, & in ultimo diſcrimine appellare legionum fidem, atque exitioſam nuper *Richardo* cunctationem experti, eò acriùs accelerabant.

Haud incomperta interim *Senatulo* fuit decreta Tribunorum vis. Sed facto magìs, quàm conſulto opus erat, eàdem itaque nocte jubentur legiones duæ ſub *Moſſei* & *Morlæi* ductu, craſtinâ luce pro *Senaculi* foribus excubatum ire. Senatulus *ſuorum præſidium imperat.*

Mane eôdem, intrepidus *Lambertus*, & audaciâ præceps, lecto ex fidiſſimis ſuorum legionibus valido robore, *Weſtmonaſterium*, in majoris Palatii aream properavit, & nondum congreſſis Senatoribus, omnes in *Senaculum* aditus præſidio clauſit. Prodientem curru Oratorem *Lenthalium*, & cohorte prætoriâ cinctum *Lambertus* diſtinuit, mox mutato Duce, eodem præſidio in Urbem remiſit, captivo quàm ſtipato propiorem: *Veteratorum* reliquos nullo demùm negotio perterruit, fugavitque. Lambertus Senatulum *obſidet*, *& fugat*, *Octobr.* 13.

Jámque excubantes *Moſſei*, & *Morlæi* legiones locos tacentes, & inania ſubſellia tuebantur; Ipſæ interìm à *Lamberto* obſeſſæ. Miles utrinque

1659 minax,& in cædem pronus,ſed flexà in veſperam die, utraque acies incruenta retroceſſit: & jam irarum odiique manifeſti perfidiam, improbitatem, & tyrannidem mutuò objiciebant *Senatulus*, *Tribuni*que; neuter falſó.

Tribuni, *fuſo Senatu, de imperio deliberant.*

Sed præcluſo demùm *Senatorum* conſeſſu, & communitis *Senaculi* foribus, militum Ductores rerum potiti ſunt; pari equidem imperandi vanitate, quàm levitate ad obſequium; mane ſequenti, in *Ædibus Wallingfordianis*, multa *Tribunorum* frequentia accurrit, de ſummâ rerum conſilium capeſſere: & deſtinato imprimis *Exercitûs* regimine (cui minor *Reſpublica* poſthabebatur) omnium ſuffragiis, *Fleetvodum* Imperatorem, Legatum *Lambertum*, & *Deſborovium* (rudem olim Agricolam) Equitum *Commiſſarium* conſtituunt.

Concilium Salutis *deſignant. Oct.* 23.

Summam rerum Civilium curam Tres & viginti habuêre, *Vaneus*, *Fleetvodus*, *Ludlovius*, cæteráque in longum recitanda odiorum nomina; horum Conſeſſum, inaudito antehàc CONSILII SALUTIS titulo (per ſummam Impudentiam) inſignire placuit.

Jámque *Londini* compoſitâ novi Imperii

1659.

Imperii fabulâ, in omnes ſeſe partes verterant, tranſtulerántque; & perfidiæ ſocietate, ſecuritatem moliti, *Barrovium* Tribunum in *Hiberniam* allegabant, in *Scotiam*, *Cobbettum*: exteras ſcilicet legiones in partes allicere; fruſtrà utrumque.

Scotiæ & Hiberniæ *legiones in partes invitant.*

Hiberniæ enim exercitus (dum *Londini* abeſſet *Ludlovius*) *Senatulo* fidem oſtentavit. *Monchius* interim, ſcriptis ad *Fleetvodum Lambertúm*que literis, Angli exercitûs perfidiam, & dominandi libidinem acriter perſtrinxerat; ſéque *Summi Ordinis* futurum vindicem palàm pronunciavit; & adeuntem caſtra *Cobbettum*, non ut Legatum excepit, ſed Proditorem, & cuſtodiri juſſit.

Monchius *repugnat. Octobr.* 28.

Dubius interim conſilii *Monchius* ingentem curarum molem alto animo volvebat: ſecuriorem ſibi fortunam proſpexerat, dominanti *Senatulo*, at ſuperanti Anglicano exercitu, haud dubium aliquando exitium, expertus *Fleetvodi*, *Lambertí*que in longum odium, vultu licèt tegeretur: & præter ſolitam dominantium æmulationem, morum etiam diverſi habebantur, & vitæ inſtituto diſpares. *Mon-*

1659. *chius* enim religionem colebat ſimplicem, & modeſtam: *Illi* pravè hæreticam, & audentiùs pernicioſam.

Hinc, ſubductis ſecum rationibus, æſtimaverat Anglicani exercitus robur: illinc ſuorum vires impares, ſuſpectos Ductorum plurimos, & fluxam militum fidem: ſed meliorem in bello cauſam, quàm pace reputans, maturatum in *Angliam* iter, jactâ jam aleâ, deſtinaverat. Hæc poſtquàm cùm ſuorum intimis, prætorianis *Dalkethii* ædibus deliberâſſet; *Edenburgium* itur: illic frequenti Tribunorum Concilio, novas *Londini* turbas expoſuit: *Ab Anglicanis Ductoribus præcluſum fuiſſe Senatum, nullâ licet injuriâ accenſis, ſed dominandi libidine, & levitate: Londinenſes Tribunos multa & importuna molitos, non ſuis unicè, ſed exteris etiam Legionibus imperia decreviſſe; infra ſuorum omnium dignitatem fore, alieni Exercitûs juſſa capeſſere; haud ſe leviorem* Fleetvodo Lambertóve *Ducem, nec viliorem* Scotiæ *Exercitum, tot bellorum ſuperſtitem. Firmato itaque Conſilio, in* Angliam *deſtinaverat iter, provoluti Senatûs Ultor, & Vindex; ut penes eos*

Edenburgii Monchius *milites alloquitur, Octob.* 18.

eos authoritas foret, penes quos ſtipendia & præmia. 1659.

Hæc multâ cum authoritate dixerat, atque animi magnitudine, quæ in viro militari facundiam ſuperant. Diſſerenti *Monchio*, flagravit militum ardor, atque ingens rerum fiducia acceſſit; & tanto Imperatore Duce, & Auſpice, Profectionis ſignum expoſcunt.

Firmato jam milite, & *Edenburgii* præſidio, *Bervicum*, *Leitham*, *Aram*, *Lindúm*que, atque alias inſuper aliáſque Arces, & Propugnacula ſpectatæ fidei Ductoribus tradidit. Dimotis interim incertæ mentis Sectariis, (Anabaptiſticâ præſertim lue infectis, hominum genere ad publicum exitium nato) Equitum ſuorum plures, in *Angli exercitus* ſtudia aut hæreſin proni, certatim deſcivérunt. Peditum certior, & immota fides. Permultos ſuorum Ductores, à *Londinenſi Concilio Militari* nuperrimè deletos, in dignitatibus ſuis ſuſtinuit: hinc *illi* fides, in *Fleetvodum*, *Lambertúm*que odium.

Scotiæ *præſidia firmat.*

Monchius *Ductores mutat, & arma meditatur.*

Ab Aquilone ingruentis Procellæ fama *Londini* raptim percrebuit, cun-

1659. ctáque (ut longiſſimorum mos eſt) in magìs aucta. Solicita inde, ſuſpensáque Dominantium conſilia, & diverſas ad curas trahebantur: arma deinde in *Monchium* expediunt, & *Lambertum Boothianorum* cæde laſcivientem, belli, & partium Principem conſtituunt, aliud mox militiæ genus, alterúmque belli Ducem tentaturum.

Fleetvodus, & Tribuni *pacificationem rogant. Octobr. ult.*

At quoniam in armis agentem *Monchium* tantopere exhorruiſſent, placuit imprimis hominem alloquiis pertentare; manebat enim admiratio Viri, famáque.

Miſit inde *Fleetvodus Clargeſium*, *Monchio* neceſſitudine conjunctum, merentémque Scotico Exercitu *Talbotium* Tribunum, & Imperatoris gratiâ florentem, conciliandæ pacis Nuncios; eodémque *Pacificantium* conſilio ſequebantur *Whalæus* & *Goſſius* Tribuni; *Carillus* deinde, & *Barcherus*, Delphica *Independentium* Oracula: nè ſtruendis uſque inſidiis defuiſſent Concionatorum artes.

Legatos in Scotiam *mittunt.*

Hos omnes comiter excepit Monchius. Cum *Clargeſio* multa ſecretò habuit, reliquis palam in *Tribunos Angliæ* Domi-

1659.

Dominantes nullum eſſe de Religione litem differuit; id unicum in votis præoptâſſe, temeratam SUMMI ORDINIS Dignitatem vindicare, nec ultrà laturum arma. Quod ſi incruentas Conditiones *Londini* maluiſſent, placuit colloquiis ſpatium concedere.

Monchius *Pacificationem admiſit.*

Pacis bona quæſitâ adulatione prædicti differebant *Miniſtri*, haud uno documento Commilitonum diſſidia ipſis potiſſimùm exitioſa, & publico hoſti (quem *Regem* ſcilicet intelligunt) peropportuna ominantes: nec deinde fefellit Augurium.

Sed apud militarem Virum Circulatorum artes toties expertum, fruſtrà fuit concionalium hominum, utriſque ſeſe partibus venditantium, profeſſoria Lingua. Hoſpites demum Pacificos eâdem fide quâ veniſſent officiosè remiſit: *Clargeſius* interim ſecretioribus antehàc mandatis inſtructus *Londinum* conceſſit.

Et jam MONCHIUS infidam licèt omnem cum ANGLICANI EXERCITÛS Tribunis concordiam ſenſiſſet: at nondum diſpoſitis ritè remotioribus tuendæ SCOTIÆ præſidiis; caſu

1659. oblata in consilium flexerat, & conciliandæ Pacis otium in rem suam protrahere contendit.

Monchius Londinum *Legatos mittit.*

Wilcheſium indè *Knightium*, & *Cloberæum*, delectos à Scotico Exercitu *Pacificatores*, & trahendi artibus instructos *Londinum* properè demisit: ubi in ÆDIBUS WALLINGFORDIANIS majore officio quàm libertate exceptos cum delegatis FLEETVODI Ductoribus differentes aliquandiu relinquamus; quanquam ex utraque parte sincerum fuisse Pacificationis studium, vanum habeo.

Wallingfordianis Ædibus *Pacificatores conveniunt.*

Lambertus Eboracum *intrat.*

Antehàc profectus in *Monchium Lambertus*, *Eboracum* pervenerat, duodecim Legionibus instructus; levis erat Peditum vis, in Equite robur: hic ab articulari morbo assurgentem, Monchiani Exercitûs *Instructorem* invenit *Morganum*, quo nemo illo seculo rei militaris callidior habebatur.

Morganum *mittit* Monchio *Pacificatorem.*

Hunc *Ipsi* olim familiarem & *Monchio* percharum *Lambertus* in *Scotiam* misit, firmandæ pacis negotium ulteriùs maturare. Ille *Monchium Edenburgium* secutus, jussa sua, & quì venisset, militariter exposuit: sed potiorem

1659.

potiorem *Monchii* fidem & belli cauſam reputans Imperatoris ſui partibus ſtetit, & tot nuper exauctorati Ductores, tot Profugi optatum ſui adventum fecerant.

Monchius Scotorum Ordines *in concionem vocat. Decemb.* 13.

Monchius interim, militaribus curis propemodùm compoſitis, *Scotorum* Proceres *Edenburgium*, deinde *Bervicum* in Concilium vocavit; ubi multâ majorum gentium Celebritate, Deſtinata ſua coràm expoſuit; illos interim oratos eſſe voluit, pro ſuâ in Patriam charitate, in Se officio, natalis *Scotiæ* ſuæ pacem contueri, & proficiſcenti in *Angliam* Exercitu, debita militum ſtipendia perſolvere.

Opem oſtentant Scoti.

Haud gravatè *nobiles Scoti* ſpondent pecuniam, quin arma ultrò viréſque & belli ſocietatem obtuliſſent; quo lætior *Monchii* fortuna fuit, tantis *Scotorum* auxiliis uti poſſe, neceſſe non habuiſſe.

Monchius *deliberat.*

Námque præcauti ingenii Vir noluit alieni juris *Scotiam* haberi armatis incolis; nec comitantibus in *Angliam* Scotis, ingratum ſui adventum domi reddere.

Ordinatis tuendæ *Scotiæ* præſidiis, Ductoribus fidis, obfirmatis militibus, cunctiſque

1659. cunctiſque in progreſſum diſpoſitis, præceps ecce *Edenburgium* advolavit ratæ Pacificationis fama; ſed conditionibus adeò adverſis adeóque incommodis, ut *Monchius* animo & vultu commotus reverſos poſtea inviſæ pacis authores graviter perſtrinxiſſet: *ſi non Fidem ſingulorum, certè omnium Prudentiam deſiderâſſe* increpuit, & *Wilcheſium* (muneris ſui limites imprimis tranſilientem) in carterem egit.

Legati Pacificationem obſignant. Novemb. 15.

Monchius iraſcitur.

Quod res erat, dicam, *Monchii* Legati à *Fleetvodi* Ducibus (per ſpeciem honoris) obſervati uſque clausique, exterorum motuum neſcii, & de lapſis *Monchii* viribus, confictis indiès mendaciis illuſi, majori ſedulitate quàm conſilio iniquam ſpondebant Pacem.

Londino interim *Monchius* per *Clargeſium*, ſpectatæ fidei Virum, admonitus, *in Urbe viliorem indiès eſſe* Fleetvodum; Eboraci *diſcordem* Lamberti *Exercitum*, *atque omne in turbido conſilium*: opportuniorem ipſi quàm hoſtibus cunctationem ducens novas Pacificandi moras ſolertèr excudit.

Monchium Clargeſius de Londini rebus admonet.

Com-

1659.

Compoſitis itaque ad *Fleetvodum* literis, *pergratos ipſi adveniſſe Pacificationis nuncios* ſcripſerat, *conditionibus tamen ambigua quædam offendiſſe, aliáque à Conciliatoribus ſuis perperàm tranſacta: ſed quò firmior foret (deletis offenſionibus) concordia, auctum pacificatorum numerum*, & Novocaſtrum *æquioris ſortis locum futuro Conventui* poſcit.

Pacificationem inde prorogat.

Novum deliberantibus conventum rogat.

Annuit hiſce *Fleetvodus*, metu magis quàm conſilio: at majori longè temeritate *Lambertus*, cujus omnis in impetu vis erat; ſed ſuo quidem exitio fatalitèr illuſus, quæſitas Pacificandi moras incautus admiſit.

Fleetvodus & Lambertus *conſentiunt.*

Lambertus interìm ab *Eboraco* motus *Novocaſtrum* advenerat, & relicto *Bervico*, *Monchius* ad *Scotiæ* terminos adornaverat iter, & caſtra moverat COLDSTREMIUM, vicum ignobilem, quem *Tueſis* fluvius alluit; ſed jam tanti Ducis Prætorio inclytus, *Britannicarum* rerum Caput aliquandiu erat, & in Urbis claritudinem adoleverat: nam,

Lambertus Novocaſtrum *poſſidet.*

Monchius Coldſtremium *conſedit. Octob.* 8.

——Veios *habitante* Camillo,
Illic Roma *fuit.*——

Tem-

1659. Tempeſtas erat nivibus & gelu aſpera, & *Lamberti* milites commeatuum ac æris indigi, per rura villaſque prædabundi raptu victitare cogebantur, honeſtiori ex inſolutis ſtipendiis licentiâ. Aucti interim commeatibus *Monchiani* ſartam tectámque propinquis Caſtris ſtationem ſervabant.

Exercitûs Monchiani *Cenſus.*

MONCHII Exercitus virtute quàm numero potior, *Equitum* quatuor tantùm Legiones habuit, quos ducebant *Johnſtonius*, *Morganus*, *Knighteus* & *Cloberræus*, Viri omni bellicâ laude digni, ferentéſque militiæ Duces. *Peditum* ſex erant Legiones, quarum ſignis militari gloriâ illuſtres præibant *Inſtructor* Exercitûs *Morganus*, & *Morganus* alter, & *Fairfaxius*, *Rhedius*, *Lidcottus* & *Hublethornius*; è Sacris *Priceus* erat & *Gomblæus*; è Secretioribus *Clarchius*; IMPERATORIS valetudines *Barrovius* caſtrorum *Protomedicus* regebat.

Londini *interim Tumultus,*

Dum hæc procul in Caſtris geruntur, trepidam LONDINI Urbem angebant diverſa Civium ſtudia. Hinc *Democratici Sectarii* (quibus nulla ex honeſto ſpes) SENATULI imperium poſcebant;

poſcebant; illinc *Urbani Milites* CONCILII SALUTIS & FLEETVODI partibus aderant: ſed inter frequentes bonorum Civium gemitus, juſtiores audiebantur querelæ, 1659.

Fruſtrà excidiſſe Perditiſſimorum hominum SENATULUM, *ſi apud* Salutis Concilium *(novum Raptoribus nomen) Imperium maneret; & occubuiſſe fruſtrà* CROMVELLIOS, *ſi* Fleetvodus *aut* Lambertus *rerum potiti ſint: minùs licèt hujuſce innocentius ingenium quàm flagrans alterius ambitio timeretur.* & Querimoniæ.

Et erant, qui utroque potiorem MONCHIUM Libertatis Vindicem præſagientibus animis procul ſpectabant: ſed Deſperatione ultimâ in Audaciam accenſi proclamant *everſam propè eſſe* Rempublicam, *dum inter Sacrilegos Prædones de Principatu contenditur; nunquam magìs afflictam rem Anglicanam, & ad extrema ventum; ultima malorum perpeſſis nihil atrocius eventurum.*

Hinc Captivitatem, Raptus, immortalia Tributa, & cætera ſervientium mala acrioribus odiis commemorant.

Satis

1659. *Satis subiisse execrandi* Senatûs *onus*; *nec efferati* Exercitûs *jugum mollius: detestandi utriúsque fasces*; *utriúsque triste servitium*; *apud improbos* Parricidas *ludibrio esse miserias suas, dum Servitutem Pacem falsò vocant, Sævitiam & Cædem Disciplinas*; *pereundum victis, pereundum submissis*; *quantâ majori Claritudine perituros inter amplexus Reipublicæ, & Libertatis? salulutem tentantibus saltem, honestiorem fore Servitutem, & satis adhuc Ignaviâ peccatum. Exuerent rixantium hodiè Latronum jugum, & imponerent tot servilibus annis magnum Diem. Multa audentibus temeraria, fortuitò in melius evenisse, supereſſe adhuc in occulto* Monchii *spes, Civium opes, fortunam* Londini, *& Ultorem* Deum. *Id ipsis & posteris clarum, civiles iras à Majoribus per lasciviam olim incœptas, & fusum* Divi Caroli *sanguinem, nunc civium suorum fide & restaurando* Filio *expiâsse.*

Tyronum Londini *Tumultus.* Inter has furentium voces, urbanósque tumultus, ingens *Servitiorum Tyronúm*que convenerat Turba, strenuum hominùm genus, & Urbis usu procax Libertatis exoleti jam servitii per-

1659.

pertæſi, atque Licentiâ magìs quàm in Libertate, novum frequentémque *Senatum*, unicum afflictis rebus remedium, inconditis undique clamoribus expoſcunt.

Ab Heuſonio *ſupprimitur. Decemb.* 5.

Sed in Urbem à *Fleetvodo* miſſus *Heuſonius* Tribunus (Sutrinæ olim Tabernæ alumnus) expeditâ militum manu, inermes furentis Vulgi iras, & invalidam ſine Duce Turbam momento compeſcuit, atque atrociùs indè in Urbe ſævitum.

Portſmuthæ *præſidium pro* Senatulo *inſurgit. Decemb.* 3.

Gliſcentibus indiès Civium querelis, Tres præcluſi nuper *Senatuli* ſocios Tribunóſque militares, *Hazelriggium*, *Waltonum*, & *Morlæum*, præſidii rector *Wethamus* in *Portſmutham* admiſit: contra quos miſſæ à *Fleetvodo* cohortes, deſperatis ſuorum viribus, atque æris & fidei vacuæ, in hoſtium partes tranſibant.

Idem Claſſis *conatur.*

Nec dum *Fleetvodo* nec *Salutis Concilio* malorum finis; Sub-præfectus enim *Lauſonius* bellicâ inſtructus claſſe, & partibus fidâ, *Thameſis* oſtium obſederat, clauſum deſciſcentibus Oceanum minitans, ni *Senatulum* rurſus in Imperii ſedem locarent.

Cuncta

1659.

Cuncta undequaque in deterius verſa perculêre *Salutis Concilium*; & impar tot adverſis *Fleetvodus*, nè proſperis quidèm par, ſed contemptior indiès leviórque, nec Fidei conſtans nec jam ſtrenuus in perfidiâ; miſſo ad *Senatuli* Oratorem *Lenthalium* multæ aſſentationis Nuncio, orat obteſtatúrque (ſerviliùs quàm decebat Imperatorem) ut conciliatis actutum Senatoribus, Reipublicæ curam denuò capeſſerent, & errorem deprecantes in fidem reciperent: & ex *Salutis Concilio* plures retinendæ licèt Potentiæ avidi, de reſtaurando *Senatu* deliberabant, certi haud longum eſſe ſuorum Imperium, ſi victor forſan *Lambertus* ab Aquilone rediiſſet.

Fleetvodus Senatulo *cedit.*

Concilium Salutis *mutat.*

Nec defuêre occultis ſuſpicionibus *Fleetvodum* inſimulantes, inhoneſto hoc in *Senatulum* obſequio, per æmulationem & invidiam *Lamberti* fortunæ obfuiſſe.

Et jam Prætorianæ *Fleetvodi* Legiones, octo in diem denariis animam, & venalem ſanguinem æſtimantes, ſub Democraticæ factionis Tribunis in *Senatuli* fidem redeunt, oblitæ heſterni Ducis, qui inanem Imperatoris

Fleetvodi *Milites ad* Senatulum *deficiunt.*

1659.

toris perſonam fuſtinuit. Nec quicquam publicæ mercis commutabilius erat, quàm militum Perfidia.

Hunc exitum habuit bimeſtris *Imperitantium* machina; & jam *Fleetvodi*, jam *Lamberti* vana & ſine viribus nomina, ipſúmque *Salutis Concilium* deſtituit ſalus. Concilium Salutis *ſolvitur.*

Quamprimùm *Monchio* compertum fuiſſet, ad *Pſeudoſenatum* defeciſſe Claſſem, & ad partes acceſſiſſe *Portſmuthæ* præſidium, revocatis properè Conciliatoribus, cœptum cum *Lamberto* conficiendæ Pacis colloquium omiſit. Scriptis interim ad illum literis, cum PARLAMENTI *ipſius authoritate* Portſmuthæ *conſediſſe Senatores aliquot inaudiſſet, haud decorum eſſet & fidei & modeſtiæ ſuæ, privatis ſuis diſſertationibus privatam* Rempublicam *facere; ſed Senatorum arbitrio, ſubmiſſis utriuſque Exercitûs diſſidiis, ſummam rerum civilium curam illorum Prudentiæ Fideique permitterent.* Monchius *Pacificationis colloquium abrumpit.*

Jámque Rempublicam iterum capeſſerunt *Conſcripti Veteratores*, anno tandem ipſis ultimo & Reipublicæ propè ſupremo: atque Militum magis Senatulus *in Imperium rediit. Decemb.* 16.

1659. mendicitate quàm fide Imperium adepti, prima deliberantibus cura pecunia fuit, & ex Reipublicæ spoliis decreta Militibus stipendia. Mox superbo cum imperio, jubentur *Lamberti* Legiones, tandem *Summi Ordinis*, & officii sui memores, relictis Rebellium stationibus, in antiqua præsidia recedere. Ad *Monchii* subindè castra excidisse *Salutis Consilium*, & rerum iterum potiri *Senatum*, fama eadem pertulerat.

Senatulus Lamberti *Exercitum revocat.*

Quid ageret incertus animi *Lambertus?* Fortuna præciderat, à *Fleetvodo* fidei specie illusus, à *Monchio* pacis imagine circumventus, & à *Senatulo* spretus.

Si *Londinum* retraheret copias, longum & arduum Iter, & ferum forsan suis & posthumum subsidium, nec minùs revertentem perterruit tantus à tergo Hostis: Si *Monchio* signa conseruissent in terra ad pugnam equestrem inhabili, nivibúsque & gelu obsitâ, frustrà fuissent (quo unicè pollebat) Equitum robur, & sævienti præter modum hieme, incerta Belli tentare.

Sed nec major erat *Fleetvodiani* nuper

1659.

nuper Militis *Londini* Perfidia, quàm mox *ſuorum* in *Lambertum* Falſitas; auditâ enim *Londinenſium* Legionum defectione, *Lamberti* Exercitus deteſtandâ fraude, atque inconſulto Imperatore ſpretoque, in *Senatuli* obſequium ceſſit.

Suorum in Lambertum falſitas & proditio.

Infrequens jam *Lamberti* limen, deſertúmque Prætorium, & raræ excubiæ: ipſe nec jam Imperator, nec belli cauſa; ubi Palmas & Trophæa ſperâſſet, quæſivit Latibulum. Mox incomitatus *Londinum* ſeſe clam ſurripuit: uſque adeò infida & fallax Potentia, ubi nimia eſt.

Trahebat certè res *Britannicas* ſub *Monchii*, *Fleetvodi*, *Lambertique* viribus, Triumviralis quædam poteſtas, Romano illi *Cæſaris*, *Pompeii*, *Craſſique* Triumviratui ſimilis magis quàm par.

Comparatio.

Eâdem ferè fortitudine *Scotiam* continuit *Monchius*, quâ olim *Galliam* adminiſtraverat *Cæſar*. Præfecturas autem egreſſis, *Cæſarem* ſuperavit *Monchius*; Romanus enim in *Urbem* profectus, violato imprimis *Senatu*, Dictaturam per ſcelus præripuit. *Londinum* ingreſſus *Alter*, ſub

1659. reſtaurandæ *Senatûs* prætextu, *Regem* demùm raro Modeſtiæ Fideique exemplo reſtituit.

Nec majore ambitu *Craſſus* & *Pompeius*, æmuli licèt invidique, *Cæſarem* in Imperii conſortium adoptaverant, quàm *Monchium* in partes allicere *Fleetvodus Lambertúſque* nitebantur: nam evertendo licèt *Pſeudoſenatu* opem invicem contuliſſent, haud fidei multum utrique interfuiſſe conſtat; niſi quòd communi de *Monchio* metu tenebantur. Suſpecta interim *Fleetvodo* fuit *Lamberti* Ambitio, & *Lamberto Fleetvodiana* Authoritas gravis: nec hic ferebat *Parem*, nec ille *Superiorem*.

Monchium itaque uterque literis ambibat, cujus nunc in manu poſitum erat, cujuſcunque partibus adveniſſet, obtuliſſe Imperium. Nec *Fleetvodus* poſt triumphatum fortaſſe *Monchium*, æquiorem ſibi *Lambertum* ſperaret: quod altiùs ſuo in Exercitu proſpexerant, qui *Fleetvodo* æquiùs ſenſiſſent, omnem indè cum *Monchio* pugnam detrectantes: ni victor fortè *Lambertus* æmulum *Fleetvodum* loco moveret. *Lambertum* cum *Pompeio* haud

1659.

haud facile conferamus, niſi nimiâ utriuſque ambitione, & infelici dominandi exitu. *Fleetvodum* autem in *Craſſo* omnino deſidero.

Sed Reipublicæ haud dubiè interat periiſſe utrumque, quorum inde excidio potitus rerum *Monchius* ſui tandem muneris *Britanniam* fecerat.

Delapſis aut ſubmiſſis undique *Lamberti* copiis, diviſo agmine *Monchius* ſub ſui *Morgani*que ductu *Londinum* inſtituit iter, omnis ævi famâ illuſtre, & Poſteris memorandum. *Monchius in Angliam tranſit, Jan.* 1.

Primo naſcentis anni die, præmiſſo Peditatu, à *Coldſtremio* caſtra moverat; luce poſterâ, ipſe compoſito Equitum agmine, è veſtigiis inſequitur, & *Wellari* ſtativa poſuit; poſtridie *Morpethum* admotus, literas (quas urbis *Enſifer* obtulerat) à *Londinenſi Prætore* & Civium Senatu accepit, quibus obnixè rogant, *pro ſummâ quâ ſemper præluxerat fide, ſumma cum poteſtate conjunctâ; jamque occaſionem nactus, (quâ nullam unquam majorem ſors obtulerat) ut laboranti* Reipublicæ *ſuccurreret, & novum frequénſque* Parlamentum, *uni-* *Literas à Londinenſi Prætore Morpethi accepit.*

1659. *cum ruentis Patriæ columen, pro virili conciliaret; & votis annuenti haud defuturam Civium opem ultrò polliceretur.*

Novocaſtrum *accedit,* *Jan.* 4. Jam Nonis Januarii *Monchius* per hibernas nives, & inculta montium *Novocaſtrum* traduxit Legiones, &

Jan. 5. ſequenti die *Dunelmum* contendit, unde *Eboracum* inſtituens iter, *Allertonium* propè, à Provinciæ *Vicecomite* multo cum officio exceptus eſt.

Eboracum *intrat.* *Eboracum* poſtridiè perventum ingens Procerum & Civium corona (quæ obviàm illi proceſſerat) in Urbem ducebat. Tantum itineris ſpatium feſtinanter emenſus, hic quinque dies ſubſtitit, ſive ut gliſcentem ſui famam *Londinum* præmitteret, ſive ut, conceſſo ſpatio, *Senatuli* conſilia & voluntates Civium per exploratores ſuos (quos in Urbe frequentes habuit) maturiùs internoſceret.

Eboraci Monchius Fairfaxium *convenit.* Hic *Monchius* ſpectatum armis *Fairfaxium*, veterem civilis Belli Ducem obvium habuit; qui ſuo jam uſus ingenio, contra *Lambertum* arma à tergo ſumpſerat, nec ſpernendis viribus, ſed

1659.

ſed famâ majori, ad partes acceſſerat, ejuſdem nunc exercitûs honeſtior Hoſtis quam olim Imperator.

Inter has *Eboraci* moras, *Monchius Lambertiani* exercitûs Legiones aliquot, mutatis Ducibus Tribuniſque, ſuæ poteſtatis fecerat, & cum jam undique defeciſſet hoſtis, luſtrati exercitûs ſui partem ſub *Morgani* ductu in *Scotiam* remiſit.

Exercitûs ſui partem ſub Morgano *in* Scotiam *miſit.*

Ipſe numeratis Peditum quatuor millibus atque Equitum mille & octingentis, *Londinum* ultrà progreſſus eſt. Talis erat *Monchii* Exercitus, qualis nulla unquam acies, numero minor, nec clarior famâ per *Angliam* inceſſerat, & vix tertiæ hoſtium parti conferenda ruentis *Britanniæ* fatum fortunámque *Caroli* ſuſtinuit.

Moto hinc exercitu, & *Monchius Nottinghamiam* profectus *Clargeſium Londino* properum excepit, virum multæ apud *illum* & promeritæ authoritatis. Ille *Senatuli* conſilia, urbani Militis robur, confictas undique Sectariorum ſuſpiciones, & in *Monchium* converſas Civium ſpes ſecretò expoſuit.

Monchius Clargeſium Notinghamiæ *convenit.* *Jan.* 19.

1659.

Senatuli *Legati* Leiceſtriæ Monchio *occurrunt.* *Jan.* 22.

Porrecto *Leiceſtriam* iter, ecce gratulantes obveniebant à *Senatulo* Legati (omnium mortalium deterrimus) *Scotus*, & *Robinſonius*, Imperatoris honori in ſpeciem conceſſi, & officii causâ comites: ſed reipsâ exploratores, & rimatores arcanorum, ſingulas *Monchii* voces vultúſque haud incuriosè ſpectantes.

Nec inconſultior *Monchius*, ut erat ſui obtegens, & ſummus SILENDI artifex, meditato dictorum omnium temperamento, & quæſitiſſimo ſuorum in *Legatos* obſequio haud dubiam ſui fidem firmavit.

Novum Senatum *populus undique* à Monchio *poſcit.*

Longo hoc triumphali progreſſu, ingenti mortalium gratulatione, plauſúque inceſſerat, & obviàm ubique ſupplices *liberum frequentémque Senatum* (quod unicum ſupererat malorum levamentum) ringentibus licèt Legatis, poſcebant. Idem miſſi à *Londinenſi* Concilio *Patricii Cives* rogabant, *Haverburgii Monchium* congreſſi. Nec diverſa *Northamptoniæ* demùm accolæ plures remotæque Anglorum Provinciæ per Oratores & ſupplices libellos enixè obteſtabantur, quos omnes involutus conſilii

Monchius

1659.

Monchius majori longè officio, quàm aſſenſu excepit.

Jámque ad *Sancti Albani* Fanum pervenerat *Monchius*, viceſimum ab urbe lapidem, de ſuo *Londinum* ingreſſu unicè ſolicitus. Literas itaque quæſitè compoſitas, per *Lidcottum Tribunum* ad *Senatulum* miſit, quibus in propinquo ſe eſſe refert, *& quoniam Exercitum duxiſſet fidei in* Senatum, *& modeſtiæ militaris ſervantiſſimum, intutam rem eſſe ſubmonuit, pudicas* ſuorum *Legiones, & nullius perfidiæ compertas, inter malefidas* Londini *cohortes, nova nuperrimè cupientes, (nec dum ſatis depoſitâ ferociâ) miſcere: pro* Senatûs *itaque ſalute imprimis rogat, ut ab urbe emiſſis ocyùs* Fleetvodi *Legionibus, ſui Exercitûs ſtationes, per caſtrorum* Præfectum *maturè deſignaret* hæc palam ferebatur cauſa, in occulto altera.

Ab Albani Fano *ad* Senatum *mittit. Jan.* 28.

Ab Urbe Fleetvodiani Militis *miſſionem rogat.*

MONCHII poſtulatis annuit *Senatulus*, haud facilè dixerim, fide magìs an ex metu. Jubentur indè *Fleetvodi* Legiones, relictis in Urbe caſtris, ad agreſtia procul ſtativa faceſſere.

Senatulus *annuit.*

Miles autem Prætorianus, qui laſcivam

1659. laſcivam diu militiam *Londini* expleverat, minaci greſſu inſeſtiſque ſignis deſeruit Urbem, & miſtus erat obſequio furor; nec partium odia finita cum bello.

Pugnaces exeunt Fleetvodi *Legiones. Feb.* 2.

MONCHIUS interim ab *Albani Fano*, *Barnettam* acidulis inclytam advenerat, & ſequenti die, pridiè Nonas Februarii, compoſito agmine, *Londinum* ingreſſus eſt. Ipſe ante Equitum Ordines, multâ militari pompâ per Urbem inceſſit, & in ALBAM AULAM (Regum olim Palatium) divertit, nec ſine omine.

Monchius Londinum *intrat. Feb.* 3.

Ante hæc delumbatum toties *Senatulum*, truncatum toties, COCCYGEM SENATORIUM vulgus per dericulum nuncupârunt: At Patricii interim conjuratores (bonorum omnium faſtidium, juxta ac propudium) præferoces ingenio, & cum jam tertiùm dominarentur, rebus ſecundis nimii, atrocioribus quotidie modis ſævire in *Rempublicam* cœperant; & ancipiti metu perculſi, tam à ſuis quàm ab hoſtibus; & conſcii, famâ magis quàm vi ſtare res ſuas, flagitioſam firmare Tyrannidem novo ſacramento decreverunt: & quo deſperatâ magis

1659.

magìs veniæ ſpe, necteretur vinculum ſceleris, ejurato CAROLI SECUNDI, & Regiæ Domûs imperio, perſanctè jurejurando cautum fuit REMPUBLICAM ANGLICANAM unicè coli, & hodiurno *Senatui* incorruptam fidem ſervari, quod ruentis modo fortunæ ſuæ noviſſima libido fuit.

Monarchiam Senatulus *Sacramento abjurat.*

Senatoribus interim circa ſumma adhuc ſcelera diſtentis, tam *Boothianarum* partium, quàm deſciſcentium Legionum nocentes, tanquam minores aliquandiu evaſerant.

Jamque *Statûs Concilium* ex nequioribus ferè Democraticis refertum in Comitia *Monchium* evocabat: ubi oblatum imprimis prædictum ABJURATIONIS ſacramentum prudens aufugit: deliberanti interim, quàm recuſanti propior.

Statûs Concilium *Monchium ad Juramentum vocat.*

Cunctatur.

Tertio ingreſſæ Urbis die, comitantibus *Scoto* & *Robinſonio*, Senatum *Monchius* intravit, & *Lenthalius* Orator verbis magnificus, rerum vacuus, celebratâ imprimis *Monchii* in *Senatum* fide & conſilio, ſuorum armis reſtaurati hodie *Senatûs* laudes, gratéſque perſolvit.

Senatum *intrat. Feb. 6.*

At quâ ſubinde oratione diſſeruit

Monchius

1659. *Monchius*, ipsissimis ego verbis referam.

Inter perplurima Divinæ Clementiæ miſellis hiſce gentibus munera, veſter in Imperium reditus haud minimum censeri *merebitur.* Dei unius *opus erat, cui integræ debentur laudes.*

Ingentem erga me Summi Numinis Benignitatem agnoſco, inter perplurimos longè digniores, aliquem mei in tanto opere fuiſſe uſum. Nil ultra officii mei debitum præſtabam, quominùs hiſce Subſelliis, tantam à vobis exiſtimationem promererer; veſtram tamen erga me Voluntatem æternùm agnoſcam.

Non vos prolixâ nimis Oratione gravabo, ſed Veſtrûm *pace, paucis dicam. Dum à* Scotiâ Londinum *feciſſem iter, populum ubique locorum inveni tot turbidis rerum vicibus quærentem requiem, & à plurimis Provinciis ſupplices mihi offerebantur libelli innumeris ferè nominibus ſubſcripti, quorum commune propemodùm votum fuit* liberum frequénſque Parlamentum, *veſtri Conſeſſûs finis, Miniſterium Evangelicum, Bonis literis &* Academiis *patrocinium, &* Senatoribus *olim* ſecluſis *liber in Senatum & injuratus aditus;*

quibus

1659.

quibus conſimiliter reſpondebam, Vos *liberum eſſe* Senatum, *& ſi quæ vis obſiſteret, meis ego armis dimoverem. Dixi porrò* Vos *auctiorem* Senatum *decreviſſe, quod libertati* Veſtræ *frequentiam adderet, & antehàc præfinitum eſſe* Veſtri *conſeſûs terminum.*

Miniſtrorum *Decimas, avitas* Leges, Academiarum *commoda*, Vos *publicis antehàc edictis ſanxiſſe, quibus æquum erat, ut fidem adhiberent. Quod autem* Senatores *dudùm* præcluſos *attinet, audito* Veſtrûm *Decreto, non ultra populo eſſe querendi locum, neque unquam apud* Anglos *in more poſitum fuiſſe*, Senatores *ſine fidei Sacramento conſcribere.*

Sed quod illis celabam, veſtrâ cum pace dicam. Quò minùs ſacramentis & fœderibus uſi eſtis, ſalvâ Republicâ, *eò citiùs rebus noſtris firmitudinem adepturos.*

Hæc ego curatiùs diſſerui, quò vobis liquidò oſtenderem, quàm grata populo erint Veſtra *de rebus hiſce conſilia. Nota loquor, inter* Primares viros *modeſtiores omnes (modò benignè à* Vobis *habeantur) obſequentiſſimos fore. Id quod credo* Vos *præſtabitis, quorum adeò intererit,*

1659. *erit, non contrahere partes nostras, sed ampliare.*

Imprimis cavendum est, ut nec Regii, *nec* Fanatici *inter militares res Vestras, nec civiles imperium sortirentur.* Fanaticorum *præsertim in* Dominos *procacitatem, nuperis malis Vestris didicistis: pauca de* Hibernià *dicerem &* Scotiâ; *certè malè se habent res* Hibernicæ, *& Vestro nuper excidio pejùs, interrupto exinde* Edicto *pro firmandis Militum aliorúmque ibidem possessionibus, quo hodie opus est inter tot* Reipublicæ *angustias: nam inviti emptores pro illis agris* Tributa *dabunt, quorum nullam habent per Leges certitudinem.*

Quantum Vobis *fallebant fidem, qui* Hibernici Exercitûs *Ductores scripsissent, lubens prætereo.* Illorum *in* Vos *perfidia manifestò comparuit. Persanctè affirmo, qui* Vestrûm *hodie Dignitatem armis vindicârunt, incorruptam* Vobis *præstabant fidem; unde Documento erit, modestos solùm homines ad Imperii firmitudinem natos esse.*

Scotos *quod attinet, certè Vestram benè merentur Indulgentiam, & perlata illis erint novissima Vestra Decreta,*

1659.

creta, quos ingens occeperat metus à Fanaticorum *furoribus ocyùs obrui; illos ego* Veſtrûm *favori, & æſtimationi ſupplex offero. Sit utriuſque gentis coalitus, & æquior* vectigalium *ſors, quod fide meâ obſtrictus à* Vobis *obnixè rogo: & bonâ veſtrâ cum veniâ poſtremùm peto,* Vobis *curæ eſſe civiles* Scotorum *res. Certè ni* Judices *&* Legum Tribunalia *apud illos maturè deſignentur, miſerrima erit* Scotiæ *fortuna.*

Quem nuper ad Vos *miſi, Dom.* Gumblæum *inſuper juſſi* Judicum *aliquot* Præfectorúmque *nomina* Vobis *exhibere: ſed inter ardua* Veſtra *negotia infecta res fuit; nunc autem id operis multo cum officio Prudentiæ* Veſtræ *ſupplex defero.*

Si hæc omnia abſenti animo dixiſſet IMPERATOR, certè ſummâ cum concinnitate finxerat: ſed quo aſſenſu diſſerentem audivit SENATULUS ex ſequentibus comparuit. Præter detrectatum pridiè ABJURATIONIS ſacramentum concitaverat ultra ABDICANTIUM animos liberior MONCHII Oratio; & præcipientem magis quàm perorantem, ac Dictatorem

Monchii *Oratio* Senatoribus *ſuſpecta.*

1659. rem potius quàm ſupplicem agnovérunt: nec minùs diſplicuiſſe videretur *Fanaticorum* acriùs perfidiam quàm *Regiorum* contumaciam inſimulâſſe.

ABJURATORES interim (*Coccygis Senatorii* mariſcæ) quorum unice in SENATULO potentia graſſabatur, ancipitem adhuc MONCHII fidem, & in illum erecta nimis optantis Populi ſtudia, diversâ mente ſpectabant; & jam nacti occaſionem haud ultra diſtulêre tam reconditi viri *abditos ſenſus*, & *quid occultiùs parat*, exquirere.

Londinenſes *Tributa recuſant.*

Adeò enim LONDINENSIBUS contemptui & faſtidio fuit TRUNCI SENATÛS Imperium, ut *Urbano* Civium *Conſilio* decretum eſſet, niſi libero, frequentíque SENATUI, nè Tributi aſſem perſolverent; quod *Senatores* (inter ſcelus & metum trepidos) commoverat adeò accenderátque, ut atrocibus mandatis jubetur actutum MONCHIUS, ducto in Urbem exercitu, Cives decem proterviores in Arcem *Londinenſem* conjicere; & bellicis poſtibus dirutis, confractis urbanis foribus, & cataractis, procacis Populi audaciam armatus coërcere: quod

Monchius *in Urbem armatus mittitur. Febr. 9.*

1659.

quod ſi præſtaret, idem omnibus foret infamia, & par odium; atque amicum indè agnoviſſent *Monchium*, hoſtem ſi recuſaret.

Sæva licèt IMPERITANTIUM juſſa inhorruiſſet MONCHIUS, armatis tamen Legionibus Urbem ingreſſus, peroſum *Senatuli* ſcelus (haud volenti animo) exequitur.

Londinenſibus vim offert.

Terruit Urbem inopina MONCHII vis, & perculſi hærebant Cives, vaſtum primò Civitate ſilentium, mox occultum murmur, vultúſque attoniti; ſed plus mœſtitiæ quàm furoris erat, & captæ Urbis forma. Cuncta interim Militùm arbitrio acta, ſpretâ PRÆTORIS URBANI, & Civicæ dignitatis Reverentiâ:

—Et nullos comitata eſt purpura faſces.

Jam LONDINENSES dolebant invicem credulas ſuas, & fallaces in *Monchium* ſpes, & deſperatâ ope humanâ, deos & fata ſpectabant, æternam victæ jam Urbis ſervitium ominantes.

Invidioſum hoc *Monchii Senatulò* obſequium, ſpectatorum omnium ingenia

Monchii facinus diversè notatur.

1659. genia fatigavit, & diverſi interpretabantur. Sed undè tam adversâ ſui famâ *Senatoribus* adeò morem geſſerat, & unde mutato mox conſilio ac versâ mente, Civium gratiam promereri contenderat, haud facilè memoraverim: certè vel læſæ Urbis conſcientiâ motus, vel ultrà expertus Senatuli artes & perfidiam; nec minimùm, precibus ſuorum omnium & querelis victus, obſequii nimium *Senatoribus*, ſuâ cùm infamiâ ſenſerat, & violatâ Urbe, nimium invidiæ.

Mox Ipſi *diſplicet.*

Nocte eâdem *Monchius* in Albæ Aulæ Prætorium reverſus, & tam ancipiti rerum fortunâ, futura volvens, intimæ admiſſionis Ductores aliquot, & arcanorum Arbitros in privatum Concilium acciverat, & compoſitis indè ad Senatulum literis Infenſus conqueritur:

Subiratus ad Senatulum *literas mittit. Feb.* 11.

In irritum cecidiſſe ſua in Senatum *ſtudia; dum nuperi* Proditores *haud minùs* Reipublicæ, *quàm ipſi hoſtes, tantum hodiè apud illos exiſtimationis & fidei adepti ſint. Unde nova hæc in* Lambertum Vaneúm*que charitas? In ſe offenſiones novæ? Si adhuc diſplicuiſſet* Fanaticorum *perfidia, cur tanto aſſenſu*

1659.

aſſenſu pridiè exceptus erat vultuoſus iſte Hæreſiarcha Barbonius? *& audax ſecum* Sectariorum *turba per improbos libellos flagitiosè ſupplex?*

Haud ſimplicem eſſe Senatûs *comitatem colentis* Hæreticorum *colluviem. Commune nunc* Reipublicæ *deſiderium eſſe, idem* Populi, *idem* Civium Militumque *ſtudium, hoc* ſinguli *depoſcunt, hoc* univerſi: *ut aucto intrà ſeptimanam Senatorum numero, & abrogato deinde ſuorum conventu, novo conſidenti Senatui loco cederent.* Has literas manè ſequenti *Monchius* per *Lidcottum* & *Cloberæum* Tribunos, ad *Senatulum* miſit.

Monchius *in Urbem rediit. Feb.* 12.

Ipſe in Urbem interim maturavit curſum, properátque læſæ Civitatis culpam in decus vertere, & heſternæ lucis abolere infamiam. Præmiſſo indè ad Urbanum *Prætorem* de ſuo adventu nuncio, poſtquam vicinis Urbi agris Exercitum luſtrâſſet, peramplo convivio *Prætoris* Ædibus prandio excipiebatur. Poſt epulas *Prætor* in urbanum Senatum convivam *Imperatorem* duxerat. Illic frequenti togatorum Civium conventu, diſſeruit MONCHIUS, *Præcipiti magìs in Senatum obſequio,*

Civet alloquitur.

1659. *obſequio, quàm offenſione in Urbem, effregiſſe ſeſe urbanas portas, & captivos duxiſſe Cives*; jubentium *atrociorem vim eſſe, quàm gravatè* obſequentium, *&* Senatorum *magis indignatione, quàm* Militum *armis concidiſſe portas: penes eoſdem ergò authoritas facti & invidia eſto. Sed quoniam præterita defleri magis poſſint quàm corrigi, illos hodiurnis hiſce Comitiis convenerat, ut publicè magis profiteretur*, urbani Prætoris Civiumque *literas, quas* Morpethi *viator accepiſſet, & aſſidua populi vota cordi eſſe; ut hoc ipſo die ad* Senatores *ſcripſiſſet, auctiorem* Senatum *habere. Bono itaque, & ſecuro animo eſſent, pridiè Nonas Maii ſupremum huic Conventui diem fore.*

Monchius novam Senatum promittit.

Cives gaſtiunt, Feſtis arrectæ Civitatis vocibus, & undique gratulantium plauſu audita erat *Monchii* oratio: adeóque permulſit Civium animos Novi Senatûs fama, ut luctuoſam manè & trepidam Urbem, laſcivientem jam nocte crederes, læto campanarum ſonitu, & feſtis per noctem ignibus.

Et Monchium venerantur. Jam *Monchius* omnium ora in ſe verterat; & magni ſecreti impatiens turba,

turba, illum unicum Patriæ decus & vindicem celebravit; versique ad Cœlum & Deos, cuncta illi bona fauſtáque comprecantur. Omnium deinde convitia, & odia (tanquam pars Libertatis) in SENATULUM congeſta, liberiùs quàm ut meminiſſe *Imperitantium* viderentur. Sed nec effuſior erat nocturna hæc geſtientis Populi licentia, quàm prius *Senatorum* ex recitatis MONCHII literis meridianus furor. Haud graviorem fuiſſe fremunt CROMVELLI olim, aut nuper LAMBERTI in Senatum vim, quàm Dictatoriam hodiè MONCHII audaciam, per præfinitum ſuo receſſui diem.

1659.

Senatulum *convitiis proſcindunt.*

Senatulus Monchii *literas offenſus accepit.*

Sed in Urbem miſſi ſoliti ad *Imperatorem* Legati *Scotus* & *Robinſonius*, malè ſimulatas SENATULI grates de triumphatâ Urbe obtulêre, & celatâ omni in literas offenſione, auctiorem SENATUM pollicentur, ac quo plus dignationis falſitati ineſſet, MONCHIUM iterum conſiliorum participem WESTMONASTERIUM invitant.

Utrinque luditur.

Ambiguè à MONCHIO ſuiſque reſponſum, neque illos latuit haud

1659. gratuitam eſſe ſuperbientium comitatem: at utriuſque partis intererat ſimulationem ultrà obtendere.

Auditâ autem ex reverſis modò Legatis, tam feſtivâ Imperatoris Civiúmque conſuetudine: ſenſit SENATULUS MONCHII conſilium, & diverſis animorum motibus ferebantur. Illius indè in Exercitu potentiam imminutam citatìm ibant; conſtituto moderandis Legionibus QUINTUMVIRATU; quod poſtquam impiè decreviſſent, ſi fortiter enixi ſint (alienato ANGLICANI EXERCITÛS in MONCHIUM animo) illius fortunam obturbaſſent.

Senatulus Monchii autharitatem elevat.

Ut primùm inaudiſſet MONCHIUS *quintenum* ſe factum *Imperatorem*, vir contumeliis inexpertus, & aſpernatus Senatorum indignitatem, juxta ac perfidiam; rebus ſuis curatiùs conſuluit: Et nè hoſtium ultrà, & Proditorum conſiliis uteretur, *Senatores* olim *præcluſos* in Concionem vocat, quorum rationibus ſtudiiſque cum plus eſſet momenti & fidei; atque homines temperandis rebus idoneos comperiſſet, nec ſuis in tempore deſtinatis adverſos, Prætoriano Milite

Monchius indignatur.

1659.

lite cinctos dimiſit in *Senatulum*.

Subintrantibus interim reſtauratis Senatoribus, ABJURATORUM pars deterrima, & vi nocendi nequior, deſperatis jam rebus ſuis, Comitiis exceſſit. *Pars altera* mitioribus remediis pronior, cum advenis ſociis ex improviſo reverſis rerum publicarum curam haud gravatè capeſſerunt.

Præcluſos Senatores in Senatum mittit. Febr. 21.

Abjuratores diſcedunt.

Auctúſque jam *Senatus*, reciſſo imprimis ſuæ olim exauctorationis Decreto, ſummum per *Britanniam Hiberniámque* armorum Imperium vindici *Monchio* decrevérunt, & debita militum ſtipendia ocyùs numeranda conſtituunt. Ad claſſis præfecturam *Montacutium* deſignant. *Boothianarum* partium captivis, & vinctis *Londini* Civibus proclamant libertatem; quorum vices clauſus poſtmodùm Londinenſi arce *Lambertus* occupavit.

Auctí Senatûs *Decreta.*

Dum adminiſtrandæ Reipublicæ *Senatus* invigilaret, *Monchius* interim Legionum curis unicè intentus, advocatô Tribunorum Concilio, literas haud ſine curâ compoſitas excubantibus per *Britanniam Hiberniámque* caſtris, Ductoribúſque ſubinde expe-

Monchius *de auctо* Senatu *ad remotas Legiones ſcribit. Febr.* 21.

1659. dit, quibus admonitos eſſe voluit, *Duxiſſe ſeſe in Senatum præcluſos olim* Senatores, *nullâ utique commutandæ* Reipublicæ *laſciviâ, ſed diſcrimine rerum & efflagitantis populi clamoribus coactum: neque aliter tot* Reipublicæ *malis ſubvenire licuit: nec Legionum comparare ſtipendia. Sed finito propediem hoc* Senatu, *& novo in proximo conſidenti, auctioribus indè* Senatorum *ſuffragiis Militum poſſeſſiones, conſcientiæ arbitrium, & cuncta Legionum commoda immota ſtarent, intemeratáque.*

Illa Monchio *conſentiunt.*

Remotæ interim Legiones commeatuum & æris indigæ, atque utriuſque fortunæ documentis admonitæ, certa cum obſequio ſtipendia quàm ancipitem contumaciam malebant.

Juraut in aucti Senatûs *fidem.*

MONCHIUS autem Legionum omnium in *Senatum* officium & conſtantiam novo fidelitatis Sacramento firmari juſſit; quod volenti animo præſtabant ſui Exercitûs *Duces Tribuni*que, & Anglicarum legionum haud pauci: vacillantes interim aut detrectantes inermes dimiſit. Et jam uni *Monchio* vis, & poteſtas in utrumque Exercitum fuit, cunctoſque ut ejuſ-

1659.

ejuſdem Sacramenti ejuſdémque Imperatoris Milites excepit.

Ante hæc ab ALBA AULA receſſerat *Monchius*, & JACOBIANIS ÆDIBUS Prætorium habuit: ibi inter *Monchii* familiares intimioris conſilii agebat *Gulielmus Morricius*, quem temporibus hiſce gravem, & reconditæ prudentiæ Virum fuiſſe comperio. Illius ope inductus ad *Monchium Greenvillus* Eques, & remotis arbitris, CAROLI literas ſecretò dedit.

Monchius Jacobianas *ædes incolit.*

Illic Caroli *literas per* Greenvillum *accepit. Mart.* 18.

Perlectis, *Ille* tempori multa, & dubiis ſui rebus congruentia reſpondet: nec ſenſus ſuos promeret omninò, nec omninò premeret. Ita interim verba, vocéſque temperavit, ut majora factis reſervare videretur. Nec vanam oſtendebat ſui ſpem; atque hîc primò initium ferendi ad CAROLUM imperii cœptum fuit.

Haud invitum *Monchii* in Regem animum *Greenvillus* ad *Carolum Bruxelliis* reportavit, lætum indè, & ſpei certum.

At quantâ interim ſedulitate *Senatus Monchiúſque* ſtabiliendis rebus animum viréſque intenderant, tanto equidem dolo & perfidiâ nocentes

Parri-

1659. Parricidæ, motâ in Caſtris ſeditione, & concitato in Urbe Sectariorum tumultu, novas excire turbas moliebantur; neque idem perfidiæ, qui belli finis fuit. ABJURATORES enim quoniam non ultra eſſet in Senatu ſæviendi locus, cum exauctoratis nuperrimè Anglicani Exercitûs Ductoribus, ſecretos ſermones miſcebant, obtrito jam capite, caudâ ſtimulantes,

Nova Proditorum *conjuratio.*

Quantum hodiurnis Senatorum *conſiliis, quantum ex involutis* Monchii *ſtudiis ſuboleſcere fas ſit, haud procul abeſſe converſum exulantis* CAROLI STUARTI *Imperium: maturè itaque meminerint in lubrico ſtare res ſuas; nec niſi ſuorum ſtragę, & cumulo conſcenſurum in ſolium* CAROLUM. *Fruſtrà nunc jactata tot bellorum Trophæa, oſtenſam fruſtrà tantam præſentis Dei opem, & irrita hodie tot annorum Facinora.*

Poſt infinitas penè Regiorum *ſtrages, cædes* Nobilium, *&* SUMMUM SCELERIS, primi CAROLI *parricidium, extremæ dementiæ eſt, veniam (quam tot ſceleribus vix* Deus immortalis *daret) à Juvene extorri & proſcripto,*

1660.

ſcripto, atque (longo exilio) truci & efferato ſperare.

Unicum itaque ſubſidium ab Audaciâ petendum, dum nondum adulta Senatorum *authoritas, nec* Monchii *utriſq; in caſtris ſatis coaleſceret. Audeamus ergo cædes, ruinas,* Reipublicæ *turbas, atque illa potiùs flagitia, à nobis per vicennium tam feliciter experta, quàm triumphato toties hoſti, & jam ultori, redemptam ſanguine noſtro Libertatem vecordes tradere. Aut* vivi *priora noſtra facinora tueamur majoribus, aut* mortui *noſtrûm omnium exitium ſub* Reipublicæ *ruinâ operiamus.*

——— *Trahere omnia ſecum*
Merſa juvat, gentéſq; ſuæ miſcere ruinæ.

Maturatâ in hunc modum conjuratione, defuit unicè opportunus partium *Dux*, cui muneri, multæ apud Fanaticos famæ dignior *Lambertus* habebatur.

Corruptis itaque cuſtodibus, ipſe ex *Arce Londinenſi* nocturnam fugam adornaverat; mox ſecretò in Urbe delitescens, & prædictis flagitiorum machinatoribus in conſilium vocatis, con-

Lambertus *ex carcere fugit. Apr. 9.*

1659. conſensêre invicem (quò ſcelerum rabies!) tentatâ Anglicarum imprimis Legionum defectione, motiſque in caſtris ſeditionibus, novam ſtruere civilis Belli molem.

Militum vim contrahit. *Lambertus* inde *Vervicum*, deſtinatum conventui locum, occultus proparavit: Illuc acceſsêre *Axtellus*, *Ochæus*, *Cobettus*, *Credius*, aliique diſtrictæ audaciæ ſicarii, auctique Anglicarum Legionum exuviis tranſfugiſque, quos illuc ad res novas prolexerant, ſubitum exercitum conſcribunt; & invenit iterùm Militem infelix Imperator.

Primum inſurgentis *Lamberti* famam ad *Monchium* ſubmiſit *Straterus* Tormentorum Præfectus, qui *Northamptoniæ* cum pedeſtri Legione ſtativa ſervaverat.

Lambertus Edicto proſcribitur. Audito *Conjuratorum* effugio, *Statûs Concilii* Senatores *Lambertum*, ſcelerúmque ſocios, publicos hoſtes edicto proſcribunt. *Monchius* interim nè deſertâ Urbe (Britannicarum rerum arce) *Rempublicam* in diſcrimen daret, & cujus integra vis majoribus remediis ſervabatur, conſtituit, Equitum ſignis aliquot propere dimiſſis,

1660.

dimiſſis, impubem adhuc *Lamberti* impetum comprimere.

Inſignem illo die virum *Richardum Ingoldſbæum* ætas noſtra videt, qui ſua antehac errata, dum ſub utroque *Cromvello* Tribunus meruiſſet, ingenti auſu delevit. Ille *Imperatoris Monchii* juſſu, feſtinato Equitum robore, pedeſtribus *Strateri* copiis *Northamptoniam* properè accurrit, & undecimo Calend. Maii (quod ſacrum Paſchale Feſtum erat) duobus à *Daventriâ* milliaribus, in hoſtium conſpectum venit, patentibus circum campis ad pugnam equeſtrem, nec ad fugam minùs.

Ingoldsbæus *in* Lambertum *mittitur.*

Apr. 22.

Lambertus nondum adultis ſuorum viribus, ex inſperato obſeſſus, edito velut ultimo virtutis opere, Militum ſuorum aciem inſtruit: reliqua, quibus impar eſſet, fato permiſit: nec ſegniùs *Ingoldſbæus* parat arma. Alter jam alterius impetum per horas aliquot ſpectavit.

Arma utrinque expediunt.

Inter has dimicandi moras, fama eſt *Lambertum* de reſtaurando *Richardo Cromvello* (cujus olim amicitiâ floruiſſe *Ingoldſbæum* noverat) componendis

1660. nendis rebus callidè deliberâſſe: at indignanti altero ſcenici iterum Principis ludibrium, armis utrinque decernendum erat: aderat in pugnâ Deus, vix enim prælio commiſſo, *Lambertianorum* Equitum plures in *Ingoldſbei* partes deſcivêrunt: reliqui transfugarum curſu, aut hoſtium viribus attoniti ultrò ſeſe victos dedêre.

Pugnant.

Lambertus *vincitur:*

Quod ubi advertiſſent Ductores, reſpectare fugam ceperant. Jam *Ingoldſbæus* in hoſtes ſtrenuè invectus fugientem *Lambertum* diſtinuit. Ille longè infra tantam in armis claritudinem, deficienti cum causâ animo, & famæ diſſimilis ſuæ, ſeſe ſubmiſsè tradidit.

Et capitur.

Cum *Lamberto* captus erat *Cobbettus*, *Crediúſque*; ſed effugientibus *Axtello* & *Ochæo*, ſera magis quàm immerita ſupplicia aliquandiù diſtulêre.

Et jam *Lambertus* deſtitutus iterum à ſuis, iterúmque captivus agnovit fortunam ſuam. At hodiurna hæc Parricidarum rabies, ni maturè ſubveniſſent *Ingoldſbæus* & *Stræterus*, cædibus armiſque civilibus *Rempublicam* iterum perculiſſet, nec defuiſſet nova laborum facies.

Quo

1660.

Quo die *Londinenſis Militiæ* Legiones luſtrâſſet *Monchius*, in Urbem *Ingoldſbæus* captivos duxerat; jamque ubi felici toties ſcelere triumphantes inceſſerant, fœdum Ipſi ſpectaculum ducebantur, & inter armatos inermes ibant. Atque hic Civilium finis malorum fuit.

Apr. 24.

Captivus in Arcem Londin. *ducitur.*

Paulò ante hæc, decimoſexto Calend. Aprilis, ſponte ſuâ exceſſit tandem *longum* & *atrox Parlamentum*, tot Reipublicæ malis, tot impudentibus auſis, & *Divi Caroli* cæde luctuoſum, bis truncum, bis præcluſum, reſtauratum bis, ſed feliciori longè exitûs quàm initii famâ.

Longævi Parlamenti *exitus. Mart.* 17.

Et jam octavo Calend. Maii, melioribus utique auſpiciis novus conſidebat *Senatus:* vetuſto *Anglorum* more, ex utroque COMMUNIUM PROCERÚMque ordine compoſitus. *Nobilium* Comitiis *Orator* erat *Manceſtriæ Comes*, *Communium*, *Grimſtonius Auratus Eques.* Atque hic utriuſque Ordinis Conſeſſus haud vanum reſtaurandi CAROLI præludium videbatur.

Novi Senatûs *conſeſſus. Apr.* 25.

Et ſueti Regibus *Angli* clamabant haud aliud ruentis Patriæ remedium modúm-

Populus Regem *optat.*

1660. modûmque ſupereſſe, quàm ut ab UNO CAROLO regeretur. Aderat in *Regem* cœleſtis favor, & inclinatio numinis, Dei hominúmque conſenſu ad Imperium vocatum. Et longo licèt *Auguſti Juvenis* exilio, cunctis ferè vultu ignotus, ſi defuiſſet fas regni, & hæredis jus; at virtutum famâ, & morum claritudine, ad ſummum faſtigium deligeretur. Nec parùm *illius* cum dominantibus ſicariis comparatio deſiderium intenderat. Auxerátque *ſuorum* voluntates adverſæ fortunæ ſuæ, & infelicis exilii miſeratio.

Eóque rediiſſet tandem *Imperitantium Parricidarum* præceps & inconſultus error, ut CAROLUM haud minùs optaret *Reſpublica* quàm ille Imperium, & feſſis rebus neceſſarium magis *Anglis* videretur Principem habere quam *Illi* populum.

Rex Bredam accedit. Inter hæc CAROLUS *Angliæ* ſuæ motibus unicè intentus, relictis *Bruxelliis* (*Hiſpanicæ* ditionis Urbe) *Bredam*, nepotis ſui *Orangiani Principis* oppidum conceſſerat; unde miſſo Aulicorum fidiſſimo *Greenvillo Equite*, regias literas ad utrumque *Senatûs* ordinem

1660.

ordinem ſcripſit; literas etiam ad *Monchium Imperatorem* & Legionum *Ductores*; literas porrò ad *Londinenſem Prætorem* Civiúmque Senatum; ad Claſſem denique, & *Præfectum Montacutium* literas.

Unde literas ad Senatum, &c. *mittit. Apr.* 14.

Quæ tantâ omnium Ordinum gratulatione & aſſenſu accipiebantur, ut CAROLUM REGEM ſolitâ per *Angliam* ſolennitate, & in Urbe Præconum vocibus publicandum *Senatus* decreviſſet, compoſito in hanc ſententiam edicto.

Carolus à Senatu *publicatur. Maii* 8.

Quanquam nulli dubium ſit, quin poſt luctuoſum Parentis Caroli *Auguſtæ memoriæ obitum, certum & abſolutum eſſet* Regiæ *hodie* Majeſtatis *Regnis ſuis & Coronis jus & dominium, ſine ulla* Edicti *ſolennitate, aut pompâ. Quoniam autem his vicibus, promulgatos eſſe Reges in more poſitum fuerit, ut indè boni omnes ſubditi officium ſuum, & obſequium teſtarentur; & quoniam porrò armata* Proditorum *vis, aliáque tot retrò annorum mala præpediſſent adhuc, quominùs noſtrum in* REGIAM MAJESTATEM *obſequium profiteremur:*

Senatûs *Edictum.*

Nos itaque utriúſque ordinis PRO-

1660. CERES & COMMUNES, *unà cum* Londinenſi Prætore, Viriſque Patriciis & primariis Civibus *hodie commiſſis, ſecundum debitum noſtrum in* Regem *officium, uno ore feſtiſque vocibus agnoſcimus & pronunciamus, ab Ipſo nuperi* DOMINI REGIS *obitu, Imperialem* Angliæ *Coronam* Regnorúmque *omnium &* Inſularum *ad illam pertinentium jus primogeniâ ſorte & ſucceſſione indubitatâ* CAROLO SECUNDO *Regii ſanguinis Hæredi proximo ceſſiſſe.*

Atque Illum Dei Omnipotentis *gratiâ, & providentiâ*, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ Regem *Potentiſſimum, Invictiſſimum Indubitatúmque agnoſcimus*; cujus *in obſequium* nos, hæredes poſteroſque *ſummo cum officio & fide obſtrictos profitemur.*

Abſolutâ per Urbem, ingenti mortalium plauſu, Publicati Regis celebritate, cunctíſque conferendo Imperio adornatis, utriuſque Ordinis Comitia, honorificam Regiis literis Legationem decreverunt; & à PROCERUM DOMO deſtinabantur. Viri multâ claritudine generis, & honorum decore inſignes: *Alberius Oxonii* Comes, *Carolus* Comes *Werwici*,

Delecti Proceres ad Carolum Legati.

wici, *Lionellius Middleſexiæ* Comes, & *Herefordienſis* Vicecomes *Leiceſtrius*; *Berclæus*, *Broochiúſque* Barones. 1660.

COMMUNIUM ſuffragiis delecti erant *Fairfaxius*, *Brucius*, *Falklandius*, *Caſtletounius*, *Herbertus*, *Mandivillius* Barones. Equeſtres viri, *Aiſhliecooperus*, *Tounesendius*, *Boothius*, *Hollandius*, *Chomlæus*, & *Holliſius*. Cunctiſque in mandatis erat, literis *utriuſque ordinis* officiosè datis, ſupplices orarent inſuper, ut præoptatum toties REGIÆ MAJESTATIS in *Angliam* reditum, jam maturatum vellet. Communium *Legati.*

Et quoniam haud nimis congeſtum exulantis pulſique *Regis* ærarium duxiſſent, quinquaginta aureorum millia dono offerri jubent; decem porrò millia *Eboracenſi* Duci, Duci *Gloceſtrenſi* quinque. Rex, & Eboraci & Gloceſtriæ Duces *à Senatu donati.*

Imperatoris *Monchii* literas, & Legionum officia intimæ admiſſionis *Clargeſius* ad Regem deferebat. *Miſſus à* Monchio Clargeſius.

LONDINENSES deinde delectos ex Civium flore viginti Legatos allegabant: & pecunioſi Cives, *Carolum fratréſque Illuſtres* duodecim Londinenſes *Legatos mittunt, & dona.*

1660. cim nummorum millibus donavérunt.

Cunctis interim ſupra vota fluentibus, in integro *Monchii* fortuna fuit, tantáque rerum geſtarum dexteritate, tot incruentis artibus, Parricidarum inſidiis viribúſque illuſerat, & Reipublicæ ſalutem ſine ſanguine quæſiverat, ut eandem *Imperatoris* virtutem, & *oderent*, & *mirarentur*: & precabundi *Sectarii* fatigabant fruſtrà alieni jam Imperii *Deum*.

Proditores rerum vices attoniti ſpectantur.

Legati ab Angliâ ſolvunt Maii 11.

Quinto Idus Maii ab *Angliâ* ſolvebant Legati, & *Hagæ Comitis* REGIAM MAJESTATEM omni officiorum genere convenérunt; atque illic multâ lætantis CAROLI gratulatione & comitate excipiebantur.

Regem Hagæ Com. *adeunt Maii* 16.

Clargeſius *Eques, primus adventantis* Caroli *nuncius.*

Legatorum primus *Clargeſius* acceſſerat, quem Equeſtri imprimis dignitate donatum, adventûs ſui Nuncium in *Angliam Carolus* remiſit; & ſcriptis ad *Monchium* literis, benevolentiæ in Imperatorem gratiæque in Exercitum plenis, *Dubrenſium* littus, deſtinatum exſcenſioni locum conſtituit. Claſſem interim Regiam, *Senatûs* juſſu *Præfectus Montacutius*

(mox

1660.

(mox *Sandovici* Comes) *Hollandicis* oris admoverat, & *Scevlingæ* ſinu ſtabat in anchoris, conſcenſuro *Carolo* paratus.

Atque adornato mox deceſſu, *Rex optimus* cum *Eboraci*, & *Gloceſtriæ Ducibus* Prætoriam navim conſcendit. Illuc comitabantur *Amita Bohemiæ Regina*, & Soror *Orangiæ Princeps*, *filiúſque Regius nepos*; ubi poſt multa valedicendi officia, effuſo nautarum Celeuſmate, ſolvebant à littore. Rex *navim conſcendit*, *Maii* 23.

Et jam *Carolus* claſſe ſuâ (primo imperii pignore) potitus, mox regno, ſecundo mari *Dubrenſe* littus contendit. Illùc *Monchius* acceptis per *Clargeſium* literis, longo nobilium ordine comitatus advolaverat, obviàm in littore *Regi* gratulaturus; atque eandem domi virtutem propiùs contemplari, quam adeò procul percoluit. Monchus Dubrem *advolat.*

Ut primum ab alto in conſpectum veniſſet expanſa Claſſis, complevérunt portum, & proxima maris, aut undicunque proſpectare poterat læta gratulantium turba, viſendi *Caroli* cupidine, vel officio.

Et ſeptimo Calend. Junii, adulto jam die, ad *Dubrenſe* littus, ſonan- *Illic* Carolus *portum attigit*, *Maii* 25.

1660. tibus cunctis à Claſſe tormentis, aliiſque ab *Arce* reſonantibus: quódque gratior clariórque vox erat, inter feſtos Subditorum plauſus à Prætoria nave AUGUSTUS CAROLUS in arenam deſcenderat, tantâ oris pietate vultúque compoſito, ut Præſidi Imperii Deo votiva ſacra inſtaurâſſe crederes; & vanitate intactus, aut major, ac quantæcunque fortunæ capax, nullum elati, aut tumeſcentis animi motum protulit, quin ſummâ majeſtate dignus, imperare magìs *poſſe* quàm *velle* videretur.

Monchius *Regem in littore excepit, & veneratur.*

Hic *Monchius* CAROLUM de genu veneratus, inter amplexus Regios & oſcula ſurrexit; perfunctóque à cæteris undique Proceribus, omni gratulantium officio, nocte eâdem *Rex optimus Dorovernium* contendit, mane ſequenti, *Monchium* in *Georgianæ Periſcelidis* Ordinem adlegit, Illuſtréſque *Eboraci* & *Gloceſtriæ Duces* victricibus dextris dignitatis inſignia impoſuêre. Hic diem *Rex* Dominicum condiderat, & in ipſâ SUMMI PRÆSULIS ANGLICANI ſede, Eccleſiæ ſacra primus reſtituit.

Rex Dorovernium *proparat.*

Illic Monchium *Periſcelide ornat, Maii* 27.

Hinc iter ingreſſus *Roffæ* pernoctabat,

Maii 28. Roffam *accedit.*

1660.

bat, & ſequenti mane ad *Nigram* (quam vocant) *Planitiem*, diſpoſitas illic multâ militari pompâ & fulgentibus ſignis, Legiones luſtravit: Legiones antehàc ad ſanguinem omninò Civilem fortes: quarum Palmæ olim, & Trophæa inter ſcelera erant; nunc autem REDUCE CAROLO, jurè hodiè, meritóque triumphales. Pulcherrima erat ordinum facies, & CAROLO PRINCIPE dignus Exercitus.

Rex Legiones *in viâ luſtrat, & laudat.*

REX, acceptis inter ſigna à *Knighteo* (claro militiæ Tribuno) Legionum officiis, & laudatâ Militum in REGIAM MAJESTATEM pietate, & fide, ultrà profectus eſt: Ubique locorum quæſitiſſimis honoribus exceptus, ſtratis per vias floribus frondibúſque: & cuncta CAROLI fortunam ſequebantur.

Et jam Urbi imminens in *agris Georgianis Prætor Londinenſis*, & *Patricii Cives* CAROLUM venerabundi ſalutabant. Civicum enſem *Prætor* (dignitatis ſuæ inſigne) depoſuit ultrò, quem *Rex*, per ſummam indè Comitatem, iterum reſtituit; atque in explicatum latè tentorium & ſu-

Rex à Prætore Londinenſi, & Civibus ſalutatur.

1660. perbè ornatum perductus, lautiſſimis epulis excipiebatur.

Unde apparatiſſimo omnium ordinum comitatu, per urbanum ſuper *Thameſim* pontem LONDINUM intravit: tanto fortium virorum, Procerúmque fulgore, ut majorem pompam, (certè virtutem haud excelſiorem) nullo unquam ſeculo Triumphalis *Romæ* pons ſuſtinuit, nec victor *Tybris* viderat, nec *Euphrates* olim, nec antiquior *Tygris*.

Londinum *intrat, Maii* 29.

Introitûs pompa,

Quà longè patet à *Londinenſi* ponte ad Palatium via, uno latere, continenti ordine, ſtetêre in armis *Cohortes urbanæ*; ex adverſo, *togati Cives*, ædibus undicunque Periſtromate conſtratis. Tecta feneſtráſque compleverat ingens lætantium plaudentiúmque multitudo, & immenſa mortalium vis ſpectaculo intenta.

Et comitatus.

Equeſtris TRIUMPHANTIUM caterva haud minùs viginti millibus fuit: Illius agmen duxêre lecta *minorum gentium* decora, diverſo veſtium, armorúmque ſplendore, diſtinctis inſignibus, & præſonantibus tubis, in Turmas Centuriáſque diſpoſita. Secuti *Londinenſium Vicecomitum* haſtati

1660.

ſtati *Stipatores*, quos primariorum Civium ſexcenti torquibus, & holoſerico ornati ſequebantur. Inceſsêre proximè *Regii Satellites* à *Gerrardo Barone* Prætorii Præfecto ducti.

Tympanorum inde *Tubarúm*que plauſus, & feſtivus ſtridentium *Tibicinum* cantus juxtà procedebant *Urbis* & *Midlſexiæ* Togati VICECOMITES, & purpura graves ALDERMANNI, phaleratis equis viſendi: adcurrentibus pediſſequis, argento auróque fulgidis.

Ibant inde paludati FECIALES *armorúm*que REGES: & dextrâ gerens diſtrictum enſem URBANUS PRÆTOR; cui ſucceſſit Illuſtriſſimus BUCCINGHAMIÆ Dux, & chlamydatus IMPERATOR MONCHIUS.

Mox aderat (bonorum omnium vota, & gaudia felicium) Triumphali decore præfulgens CAROLUS: dextræ adequitabat Dux EBORACENSIS, lævæ GLOCESTRENSIS Dux, medius inceſſit REX IPSE equo inſignis, omnes Triumphos, Diademata omnia in vultu gerens, & Auguſtior humano viſu.

Proximè

1660. Proximè comitabantur ex intimioribus *Aulicis*, & *Principi continuis* caterva. Imperatoris *Monchii Cohors Prætoriana* ſub *Howardi* Equitis ductu; & quinque deinde *equeſtres* MONCHIANI EXERCITÛS Legiones, quibus *Knighteus* Tribunus Ductor aderat.

Longum TRIUMPHANTIUM ordinem clauſit Illuſtrium Virorum Nobiliúmque frequentia, rubris renitens inſignibus, & auro fimbriatis; multo armorum fulgore, vibratis enſibus, plumantibus galeris, & ſerico cincta ſpectabilis.

Tali omnium ordinum apparatu, REX lento gradu per Urbem profectus, inter feſtos infinitæ multitudinis acclamationes plauſúſque hauſit oculis lætos SUORUM vultus, & fruebatur Triumpho ſuo. Ac Palatium rectà ingreſſus, ſub genethliaci Sideris Luce, avitum Solium conſcendit, quarto *Maii* 29. Calend. Junii, natalitio CAROLI die, qui Ortûs olim ſui, & reſtaurati hodie Imperii idem fuit: poſtquam à *Vigornienſi clade*, per decennium exul patriâ caruiſſet.

In Palatii *Triclinio* REGNI ORDI-

NES

1660.

NES Regem inviſendum venerandúmque certatim convenerant; & PROCERUM Orator *Mancestriæ Comes*, COMMUNIUM *Grimſtonius* Eques optatiſſimum CAROLI reditum, pari eloquentiâ, ac fide gratulabantur, quos REX triumphandi ſudoribus æſtúque feſſus paucis excepit: ILLORUM *ſeſe ope & conſiliis auctum, ultra hodiurna hæc ſpectacula, majores* Reipublicæ *triumphos, ſceptri ſui æquitate daturum; & per omnem ſibi ætatem, perinde curæ* Populi *ſalutem fore, ac* Imperium *ſuum.*

Regni Ordines Carolo *gratulantur.*

Jam flexa in veſperam dies ſolutæ feſtivitati ſacra fuit. Aquæductibus vino ubique defluis, feſtiſque per Urbem ignibus; & gaudio perfuſi Cives, inter Tympanorum Tubarúmque, & Tormentorum plauſus poſuêre viginti annorum cladibus lætam ſupremámque noctem.

Nocturna Civium *gaudia.*

Conſtat humanis rebus nunquam magis præſentem interfuiſſe Deum: jam redeunt *Saturnia regna*, & rara temporum felicitas, rediit beatiſſimi ſeculi lux, quâ reſtitutus in patriam CAROLUS, ſecum Patriam ipſam reſtituit; atque res (imperantibus Parri-

Læta rerum ex reſtaurato Rege *converſio.*

1660. Parricidis) olim diſſociabiles miſcuit, *Libertatem* & *Imperium*. Rediit honor Legum, & firma omnia & æterna pollicebantur: rediit Ecclesiæ Anglicanæ antiquus nitor, & veteres Sacrorum ritus, atque exoletis Sectariorum religionibus, proſcripta Pietas rediit.

Rex Secretum Conſilium, & *Regni munia deſignat.*

Poſtquam Rex optimus adventûs ſui deliciis brevi præluſiſſet: *Rempublicam* tot civilibus feſſam diſcordiis, tot litibus ſciſſam ſerio adminiſtrare inſtituit. Deſignato imprimis Secretiori Procerum Concilio, & diſpoſitis ritè Majoribus Regni Aulæque muniis.

Dux Eboracen. Admirallus *factus.*

Summum *Britannici* maris *Admirallum* Rex Illuſtriſſimum Ducem Eboracensem inſtituit, tot fortibus auſis domi foriſque Inclytum, multarúmque palmarum Principem.

Clarendonii Comes, Cancellarius.

Supremus *Angliæ* Cancellarius, Edvardus Hideus (*Clarendonii Comes*) erat, multâ dicendi arte ſummis Oratoribus æmulus, & linguæ potens: atque eloquentiæ gloriâ nitenti haud minor aderat gerendis rebus ſolertia.

Regii Ærarii præfecturam ſuſti-

nuit

1660.

nuit integerrimus *Southamptoniæ Comes*, ſummis honoribus egregiè uſus. Southamptoniæ Comes, *Quæſtor. Oeconomus*, Dux Ormonenſ.

Præcelſam OECONOMI Regii dignitatem ORMONENSI DUCI Rex attribuit: recti judicii Viro, & moribus antiquis, bellóque & pace inclyto.

Camerarii in Aulâ officium MANCESTRIÆ COMES obtinuit, haud dubiæ in Regem fidei. Manceſtriæ Comes, *Camerarius.*

Principales Secretarii fuêre NICHOLASIUS & MORRICIUS Equites, multiplici rerum uſu & ſenio graves. Nicholaſius, & Morricius, *Secretarii.*

Inſtauratorem MONCHIUM, regio antehac Diplomate ſummum per *Britanniam* armorum Imperatorem, nunc Stabuli Regii *Præfectum*, mox Illuſtriſſimo ALBEMARLII DUCIS titulo Rex ornaverat: nam veterem *Albemarlicæ* Gentis claritudinem avitâ nobilitate complectebatur; & tanti decoris adminiculo, Rex ſeptem millibus annui proventûs (ſpectatæ fidei præmio) ex regio reditu auxerat. Monchius *Stabuli Præfect.* & Albemarl. Dux.

Nec poſterior pientiſſimo Regi ECCLESIÆ cura fuit. Superſtites Hæreticarum cladium EPISCOPOS in Provincias ſuas reſtituit; aliósque defun- *Reſtaurati in Eccleſiam* Epiſcopi.

1660. defunctorum loco adlegit, primariæ doctrinæ, ſummæ eruditionis, morum inſuper probitate & vitæ ſanctimoniâ cognitos, nec ſuo cum ſeculo viventes; quâque animi pietate inter Sectariorum contumelias civilis belli ſortem pertuliſſent, haud minori modeſtiâ ſacras jam Eccleſiæ Provincias inſulati Senes adminiſtrabant.

Gul. Juxonius Archiepiſcopo Cantuar. Summum totius *Angliæ* PRIMATEM, & ARCHIEPISCOPUM CANTUARIENSEM, GULIELMUM JUXONIUM Rex inſtituit, primævæ Pietatis Antiſtitem, vultu auditúque juxta venerabilem; *Divo* olim *Carolo* conſcientiæ moderatorem, & ultimæ neceſſitatis comitem, dum inter Parricidarum convitia & rabiem, compoſitis humanis curis, ſupremis ſuis conſuluiſſet:

---- Et nullo gemitu conſenſit ad ictum,
Deſpexítque nefas-----

Amneſtia Edicto firmatur. Jámque grande plurimis ſolatium fuit, quòd tam pauperes forent, quibus donâſſent olim PARRICIDÆ, quàm quibus abſtuliſſent: At novum auſpicantibus Imperium utilis erat lenitatis fama; & Rex clementiæ ſuæ memor,

1660.

memor, ac æmulus Divinæ, generalem noxarum omnium turbarúmque veniam (exceptis Parentis *Caroli* Regicidis) Senatus-conſulto promulgaverat; reliquis interim nocentibus ingens erat impunitatis licentia, an majore conſilii, an clementiæ laude, apud Poſteros judicium eſto.

Exercitui ſtipendia accepit & ſolvitur.

Jam Rex ſecurus Majeſtate ſuâ, & ſubditorum fide tutus, dimittere ocyùs EXERCITUM tot annis Reipublicæ gravem deſtinaverat; cujus nunc ſtipendia, impoſito per *Angliam Capitecenſu*, viritim exolvebantur: conceſſum porrò Militibus *donativum*, & Ductorum plurimis pro dignitate conſulitur.

Inter tot CAROLI læta, & ſub trimeſtri Imperii ſui primordio, HENRICUM GLOCESTRIÆ DUCEM variolis decumbentem, & fato brevem, præmatura mors abripuit; eò majori *Regii Fratris* & *Reipublicæ* luctu, quò ſublimiores ſui ſpes vicenarius Princeps ediderat: Atque hoc unicum *Carolo* ad ſummam gloriam deſuiſſe videatur, ſuo ferè in triumpho, Fraterna ſpectaſſe funera,

Dux Glocestriæ moritur, Sept. 13.

--- *Mani-*

1660.

---- Manibus date lilia plenis,
Purpureos spargam flores.---

Rex de Scotiæ & Hiberniæ *regimine deliberat.*

Firmatis *Angliæ* rebus, jam proxima CAROLO *Scotiæ Hiberniæque* cura fuit, advocato ex fidissimis utriusque gentis Proceribus Concilio, donec de dicendo apud *Scotos* PARLAMENTO, déque PROREGE *Hibernis* submittendo, maturius consuleretur.

Officiosæ finitimorum Regum *ad* Carol. *Legationes.*

Post suorum domi venerantium officia, finitimi undique *Gallorum*, & *Danorum*, *Suecorúm*que Reges, & plures *Germaniæ Principes*, honorificis legationibus, Reverso in Imperium CAROLO gratulabantur: quos omnes missus à *Rege Catholico Lignæi Princeps* pompoſo comitantium splendore superavit.

Regicidæ *in jus vocati. Octobr.* 10.

Et jam postulandis DIVI CAROLI *Regicidis* tempus & otium fuit, quorum *plures* carceribus antehac conclusi attinebantur: *Alii* in exteras procul gentes clàm fugâ cesserant, varias per terras profugi: *Alii*que in veniæ spem erecti, *Regio edicto* obtemperantes dedidêre sese ultro.

Idibus ergo Octobris sexto, non con-

1660.

conſtitutâ ſceleratâ illâ, & *Anglis* planè inauditâ, ſuprema JUSTITIÆ Curiâ, ſed avitis patriiſque Legibus, coram Regiis *Juſticiariis Proceribúſque*, aſſidenti ſimul (gentilitio *Anglorum* more) *Inquiſitione Duodecimvirali*, ſiſtebantur *Harriſonius*, *Carewveus*, *Clementius*, *Joneſius*, *Scotus*, *Scroopiúſque*, damnati Regis *Judices*, *Procurator Coochius*, multâ ſcelerum famâ *Petreus* Proditorum *Sacellanus*, ſatellitum Ductores *Axtellus*, & *Hackerus*.

A *Regiis* in foro *Procuratoribus* imprimis objectum fuit, prædictos hoſce Parricidas alioſque Majeſtatis reos, conjuranti ſimul exitiabili *Fanaticorum* exercitu, *Carolum* Regem cum *utriúſque Ordinis* Legatis de pace (tantùm non confectâ) ad *Vectæ* Inſulam ſecurè diſſerentem, in carcerem rapuiſſe: mox abrogato funditùs NOBILIUM conſeſſu, & præcluſo ſaniori COMMUNIUM numero, ſex & quadraginta perditiſſimorum hominum ſuperſtites, PARLAMENTUM ſeſe jactitantes, ſummum rerum publicarum arbitrium præoccupâſſe, & de ſiſtendo *Rege* decreviſſe.

Eorum apud Judices accuſatio.

1660. Quorum authoritate compellatos hoſce PARRICIDAS, (conſtitutâ per ſummam Impudentiam, *ſupremâ Juſticiæ Curiâ*) REGEM ANGLIÆ Legibus ſolutum, (reclamitanti licèt populo, aut gemiſcenti) damnâſſe & interfeciſſe.

Fruſtrà & falſò reſpondent. Ad hæc ritè allegata & teſtimoniis comperta, poſtquam plurima vani falſíque de ſummâ SENATÛS authoritate (quæ plane nulla fuit) incaſſum diſſeruiſſent, *Duodecimviratûs* ſententiâ damnabantur Majeſtatis rei. Idem dedititiis conſimiliter *Regicidis* (quorum novendecim erant) fatum fuit; exitu tamen diverſo, quod in loco memorabimus.

Damnantur.

Harriſonius *patibulo affixus, Octob.* 3. Idibus Octobris tertio, in trivio prope Regium Palatium, extructum erat patibulum; quo perductus manè *Harriſonius*, ſuperſtitum hodiè Parricidarum ſcelere & ſupplicio primus; quâ mentis pravitate coram Judicibus cauſam dixiſſet, eâdem contumaciâ immanis Proditor patiendo firmitudinem ſimulans, pœnas (quas meruit) laqueo dedit.

CAROLE,

1660.

CAROLE, *tuis jam victima mittitur umbris,*
Nec ſatis hoc fortuna putat, procul abſit, ut iſta
Vindictæ ſit ſumma tui.----

Ex Lanione genitus *Harriſonius*, non tam humili quàm ſordido loco natus erat; mox procurandis rixantis vulgi cauſis, agreſtis rabula. Gliſcentibus interim civilis belli cladibus, cum jam unicum ſupereſſet ad potentiam iter, pravior Hæreſis, & Proditio, parricidalem in Exercitum confugerat; illic Anabaptiſticâ rabie percitus, & Tribuni authoritatem adeptus, *Cromvelli* conſuetudine imprimis utebatur æmulatione nequitiæ: Sed ut erat elatis vaſtíſque motibus, & *Democraticorum* ferociſſimus, in *Oliverum* Protectorale faſtigium tenentem, irâ odiíſque infenſus ferebatur; non quod Tyrannum *Cromvellum* oderat, ſed ſupergreſſum, & ex Commilitone indignatus Principem.

Secutus proximè *Caruveus*, eodémque ſupplicio peremptus, ſed affinium ſuorum (qui ſub Rege militâſſent) dignitati

Carœus *laqueo plectitur.* *Octob.* 15.

1660. dignitati conceſſum fuit, ut corpus ſepeliretur: eodémque nocte compoſitum vilibus exequiis.

Coochii & Petrei *pœna.* *Octob.* 16. Poſtridiè *Coochius*, & *Petreus* loco eôdem, eodémque ſupplicio confecti, infamem vitam fœdabant inhoneſto exitu & temulento.

Ignoti nominis *Leguleius*, & pannoſus & mendicus *Coochius* erat, ac quoquo facinore properus clareſcere. Hæreticæ factionis miniſtellus, & multarum partium hiſtrio *Petreus* fuit. *Preſbyterianorum*, & mox *Independentium* partibus per vices utebatur, prout invaluiſſent; primum civilis belli claſſicum verboſus Præſtigiator è pulpitis cecinerat, vulgi turbas concionalibus ludicris miſcere doctus, cui inſulſa quædam ineptiendi mentiendíque dicacitas pro facundiâ fuit; & flagitioſa per obſequia CROMVELLO cognitus. Decimo ſexto Calend. Novembribus, *Clementius*, *Scotus*, *Joneſius*, *Scroopiúſque* conſimili pœnâ, eodémque *patibulo* plectebantur; neque ulla morientibus erat decori exitûs cura.

Clementius, Scotus, Joneſius, & Scroopius *in furcas acti.* *Octob.* 17.

Londini olim Mercator *Clementius* erat; & in omne facinus venalis, mulerioſus

1660.

mulieroſus Proditor: & Senatoris authoritate in libidines, & ſtupra uſus.

Nil niſi vilitatem, & infamiam ex *Cambriâ* ſuâ adduxiſſe *Joneſium* audivimus; mox Expilator, & magnitudine ſcelerum Tribunitiâ poteſtate auctus, *Cromvelli* (Reipublicæ ſpoliis affinitates dotantis) ſororem duxerat; nec *Olivero* neceſſitudine magis, quàm nequitia conjunctus: & morum pravitate plurimis exitioſus.

Zythepſarium *Scoto* initium fuit, inter alia belli civilis mala, Senatum ingreſſus, & omnium ferè Proditorum DIVO CAROLO infenſiſſimus, cui flagitiorum noviſſimum jactantia fuit: adeóque Regicidii lætus, ut tanti ſceleris Authorem meminiſſe poſteros voluit: & præter *Caroli* cædes, multorum criminum reus.

Deditorum omnium Parricidarum, ſolus laqueo peribat *Scroopius*; nam incautus, an contumax, ſiniſtram ſibi fortunam fecerat; vel quæ fato manent non fugienda: poſtquam enim ſe dedidiſſet, adeò Regicidium tueri viſus eſt, ut nocentem ſeſe videri, quàm ſupplicem mallet.

1660.

Hacherus & Axtel'us *ad Furcas Tibur. ſuſpenſi. Octob.* 19.

Hacherus deinde & *Axtellus* ad *furcas Tiburnicas* (locum ſervilibus pœnis ſepoſitum) Regem, Deúmque ſcnsêre ultores. *Londini* olim *Hacherus*, *Axtellus Bedfordiæ* mercimonia factitaverant.

Diſſecti *exenteratorum* artus ad publicas *Londini* Portas ſpectaculo erant, & in edita per Urbem faſtigia, præfixa contis capita efferebantur.

Suffugientium Regicidarum pœna.

Profugos antehac Regicidas edicto compellatos, perinde læſæ Majeſtatis manifeſtos *Senatus* pronunciaverat: eorúmque bona omnia fiſco Regio adjudicata.

Neque adeò in *vivos* hodie Parricidas advertiſſet PARLAMENTI juſta ſeveritas, ut *mortuorum* obliviſceretur. Eadem ergo læſæ Majeſtatis ſententia in defunctos antehac *Iretonium*, *Cromvellum*, *Bradſhavium*, *Prideúmque* lata fuit. Poſtquam enim per ſummam improbitatem, mactati Regis imperium vivi occupâſſent, haud minori demùm impudentiâ, pompoſi latrones in *Henrici ſeptimi* Sacello Regum ſepulcra poſſiderunt mortui.

Defunctorum oſſa ſub furcas Tibur. ſepulta. Jan. 30.

Senatus

1660.

Senatus ergò eruta eorum oſſa, & putidas reliquias, ſub *furcas Tiburnicas* inhumari juſſit, & poſthumâ hâc infamiâ, per Urbem rapta patibulari funere condebantur.

Memoratis Proditorum *noviſſimis*, Lectoris intereſſe reor, hominum tot olim ſceleribus illuſtrium, *prima* cognoſcere: quæ hic ſemel apponam.

Modicis ortus penatibus *Iretonius* *Cromvelli* gener fuit; ſoceróque abditorum omnium ſcelerum conſcius & arbiter; quique reliquis ferè mortalibus in occulto fuiſſet, hunc unicum in ſinum admiſerat: at nec ſocero magis tacuiſſe ſcelera, quàm docuiſſe ferebatur. Tribunorum omnium uberrimus Orator habitus, concionali quâdam dicendi arte, copioſâ magis quàm facundâ. Iretonii *mores.*

Ignotis planè parentibus, & venalis cereviſiæ Auriga *Prideus* fuit; mox perditis *Angliæ* rebus, Tribunitia poteſtas auxit homini inculto & horrido immanem animum: nec certum, inſulſior fuiſſet, an nequior. Pridei *Tribuni ingenium,*

Funeſtiſſimo Parricidarum conſeſſu funeſtior PRÆSES *Bradſhavius* erat, *Et* Bradſhavii *Præſidia.*

1660. forenſium cauſidicorum turbâ haud ſpectabilis, donec pretio emptus, terrimo ſcelere famam adipiſceretur. Cæterorum omnium ſiſtendo *Carolo* improbitatem, Purpuratus Rabula, & ſolo *Pilato* innocentior, damnandi audaciâ ſuperavit; ac facti impudentiam malignitate, & ludibriis auxerat: neque ulla fuit captivæ Majeſtatis reverentia.

Cromvelli ortus,

Melioribus ortum natalibus *Cromvellum* novimus, ſed quos ipſe æternùm fœdaverat. Vetus in familia dignitas ſub *Villiamſii* nomine, poſtea ſumpto à majoribus ſuis, *Henrici octavi* temporibus *Cromvelli* cognomento, à Fabro ferrario originem duxit.

Et mores.

Lubricam egit juventutem probroſam & opertam infamiâ, mox attritis luxu opibus, & ex prodigo Balatrone in Puritanum converſus: poſt hæreticam pravitatem, mendicitate permotus, tanquam *Catilina* alter, ad Reipublicæ excidium acceſſerat.

Catilinam *luxuria primùm, hinc conflata egeſtas, in nefaria conſilia opprimendæ Patriæ compulêre.* Flor. l. 4.

Major Privato, Privatus uſque comparuit, & arte quâdam in ſui oſtentationem compoſitus: Aderat homini inter Sectariorum turbas (quibus amicitiarum dehoneſtamentis imprimis

1660.

primis gauderet) conciliandis *Rebellium* animis mira ſolertia, jactans nudum capillo verticem, & falſum renidens vultu: naturâ & ingenio compoſitus alliciendis Hæreticorum moribus; nec ſcio an ullus unquam mortalium tantus oſtentandæ Pietatis artifex, ſceleratior doloſiórve fuiſſet, & in omne facinus audentior.

Sed quibus fallendi, ringendíque artibus, everſo *Senatu*, & mactato *Rege*, rerum potitus eſſet; plura antehac, & decora ingenia memorabant: multa armis quæſiverat, majora perfidiâ, ſimulatione, falſitate, perjurióque. A priſcis ante ſe Tyrannis mores, & imaginem retulit, ipſe immanior: cum *Tiberio* vafer & ſuſpicax, *callidum habuit ingenium cum anxio judicio, & nullam æquè ex virtutibus ſuis, quàm diſſimulationem diligebat:* odia interim facilius celaret, quam metus. *Neronem* egit tot optimorum Civium cæde, & aurigando ſimilior. Vultu aderat ſævus *Domitiani color*, *& rubor quo ſe contra pudorem muniverat.*

Tacit. annal. l. 1, & 4.

In vitâ Agricolæ.

Sed ne ſolis tantùm ſceleribus noteſceret, vel flagitiorum tædio, quædam in ſpeciem magnifica per intervalla

1660. valla oſtentaverat: non tam probus quàm ambitioſus, nec virtutis ſtudio, ſed vanitate, & ad poſteros gloriâ. Hoc unicum tandem & fortunæ ſuæ, & noſtræ ſervituti defuit, quod nec filium nec ſucceſſorem ſui ſimilem aut parem habuit.

Pudendis hiſce Proditorum exequiis, deſuit unicè Audax ille Orator dicam, an Siticen; ut *qui* (Latinus Regum convitiator) Parricidarum partes & ſcelera ſcriptis ſuſtinuiſſet: nunc torvi oris *Ludimagiſter* defunctos laudaret pro roſtris, aut patibularium ſaltem latronum elegidia caneret; tot ſcelerum monſtris dignus Orator, Poëta haud indignus.

Mirabitur hic Lector forſan exterus, nec domì minùs mirabuntur Poſteri, tam vilia capita, & ultimæ ſortis homines, quorum plures Decoctores erant Cereviſiæ, rei familiaris alii, aliique vilitatis ſuæ ludibrio Reipublicæ infamiam augentes, everſo florentis *Angliæ* Imperio, ſummum deinde faſtigium conſcendiſſe.

Si vera ſcire volumus, HÆRESEOS hæc Spolia erant, hæc Trophæa; quæ quidèm à concionalibus *Preſbyterianorum*

1660.

rum miniſtellis inchoata, ab *Independentibus* aucta, omnium deinde Sectariorum colluvione longiùs provecta, & lue quâdam volaticâ per Legiones proſeminata, non niſi fuſo *Regis* ſanguine, evoluto *Senatu*, & Bonorum omnium excidio ſiſtebatur.

Maria Orang. Princeps *in Angl. venit. Sept.* 23.

Ante hæc, undecimo Calendas Octobr. *Orangiæ* Princeps, Reduci CAROLO gratulatura, natalem *Angliam* reviſerat, alienâ felicior terrâ quàm ſuâ: *Londini* enim variolis correpta, ſub ipſis *Feſti Natalitii* vigiliis mortalitatem explevit. Inter virentes *Caroli* fratris triumphos palmáſque extincta, domûs ſuæ tantùm adverſa ſenſerat; & Regiam Aulam GLOCESTRENSIS fata gementem novo & atrato iterum luctu proſtravit.

Londini *obiit. Decemb.* 24.

1661.

Ineuntem jam annum Inaugurandi CAROLI ſolennibus aggredior. Undecimo Calend. Maii, Rex ab *Arce Londinenſi* (ſicut Coronandis noſtratium Regibus mos erat) per Urbem inceſſit: ubi in tantæ ſolennitatis honorem, Cives Londinenſes eminentioribus vicorum locis, quatuor TRIUMPHALIUM ARCUUM moles miræ altitudinis condiderant: ſpecioſiſſima artis

Inaugurati Caroli *ſolennia.*

1661. artis opera, & exquiſita ingenia Pompæ; ſymbolis, pigmentis, auróque ornata.

Arcus Triumphales. Arcuum primus Reducis CAROLI Triumphum in fronte geſſit,

Primus.

CAROLO II.
D. G. Britanniarum Imp.
Optim. Max.
Ubique Venerando.
Semper Aug.
Beatiſſimo, & Piiſſimo.
Bono Reip. nato,
De Avitâ Britan.
De omnium Hominum genere
Meritiſſimo
P. P.
Extinctori Tyrannidis,
Reſtitutori Libertatis,
Fundatori Quietis,
Ob Felicem Reditum,
Ex voto L. M.
P.
S. P. Q. L.

Navalis

NEPTUNO Britannico, *Secundus.*
CAROLO II.
Cujus Arbitrio
Mare
Vel Liberum, vel Clauſum:

Inſcriptus fuit.

Tertius mediâ in Urbe poſitus,

CONCORDIÆ Ædem exhibuit, *Tertius.*
In Honorem Opt. Principis.
Cujus Adventu
Britannia Terrâ Marique Pacata,
Et Priſcis Legibus Reformata eſt,
Ampliorem Splendidioremq;
Reſtituit
S. P. Q. L.

Ubertatis hortos, & Cornucopias pandebat Ultimus. *Bacchi* & *Cereris* & *Floræ*, & *Pomonæ* ſtatuis, doniſque excultus: Inſcriptum ſuprà,

UBER-

1661.

Quarius.

UBERTATI
Aug.
Extincto Belli Civilis Incendio,
Clauſóque Jani Templo,
Aram Celſiſſ.
Conſtruxit
S. P. Q. L.

Per hos omnes, porrectâ in Palatium viâ, præſonantibus Tubis, Tibiiſque, & Civibus undecunque acclamantibus, REX Triumphanti ſimilis inequitavit: Comitantibus Majorum gentium *Proceribus*, & Principi *continuis*, & *Fecialibus*, Armorúmque *Regibus*, & Regiis *Juſticiariis*, & *Balnei* Equitibus.

Carolus Weſtmonaſt. *Inauctus.* *Apr.* 23.

Hodiurna hæc PRÆTEREUNTIUM celebritas, quantumvis numero minor, veſtium tamen armorúmque ſplendore Triumphalem REDUCIS CAROLI Introitum ſuperavit. Proximo mane Rex multâ comitantium pompâ in BASILICAM WESTMONASTERIENSEM perductus eſt, ubi Sacrâ indutum Purpurâ infulati Præſules ſtolatíque Proceres in Imperii ſedem duce-

1661.

ducebant; & *Cantuarienſis Archiepiſcopus* inunctum oleo ſacravit. Cuncta inſuper ſolennia à Majoribus olim reperta, aut quæ ſubindè adjiciebant poſteri, cumulabantur.

Octavo Idûs Maii, novus convenerat Ordinum Senatus, hodiéque ſuperſtes. Poſtquam præterito anno Parricidarum ſuppliciis proſpectum fuiſſet: nunc *Regni Ordines*, SOLENNE FOEDUS (Anglicanæ Scoticæque conjurationis vinculum, & Presbyteriani ſceleris Sacramentum) flammis devoverat. Idem decreverat *Scotiæ Hiberniæque* Senatus; & cum jam Civilis Belli facem per *Britanniam Hiberniámque* circumtuliſſet, Carnificis manu ardebat, ſuiſque demùm cineribus expiavit gentium ſcelus.

Novum habetur Parlam. *Maii* 8.

Solenne *Proditorum* Fœdus *damnatur & comburitur.*

Finem anni *Regicidarum* ultra ſupplicium excepit. Jubenti enim Senatu, novæ nobilitatis *Monſonius*, & *Henricus Mildmaius* Eques, Divo olim *Carolo* Cimeliarcha, (eoque nocentior) & *Robertus Wallopius*, quinto Calendas Februar. anniverſario damnati Regis die, cratibus impoſiti, laqueiſque cervicibus circundatis, ad Furcas Tiburnicas ducebantur; & in Urbem

Monſonii, Mildmaii & Wallopii *ſupplicium. Jan.* 27.

1661. Urbem iterum retracti, perennnem uſque Captivitatem ſubiérunt.

Teterrimo *Parricidarum* Conſeſſui interfuiſſe omnes Atteſtantium voces ſatis firmabant: At quoniam mactandi *Regis* Diplomati haud ſcripſiſſe nomina compertum fuiſſet, carcere tantùm & vinculis plectebantur.

Defunctus interim *Londinenſi* in Arce Proditorum acerrimus *Hazelriggius*, eodem ſupplicio complexus, irâ interim & mœrore tabidus, ac ignominiæ impar, captivitatem & dedecus opportunâ morte prævenerat.

Dediti Regicidæ. Hard. Wallerus, Heveninghamus, Martenius, Ja. Tempellus, Waitius, Titchbornius, Lilbornius, Douneſius, Penningtonius, Smithus, Garlandus, Geo. Fleetvodus, Roeivs, Millingtonius, Meneus, Pet. Tempellus, Harvæus, & Potterus.

Nec dedititiis damnatíſque (quos ante memoravimus) Parricidis diſpar ſupplicium fuit. Tribunali enim admoti, quoniam poſthabitâ Defenſione, ſcelus agnoviſſent ſupplices: & conſtitiſſet ultra *Inſulſorum Seductorúm*que fuiſſe turbam, vel blandientis CROMVELLI artibus emunctam, vel metu minitantis, cervices (totiès licet Patibulo debitas) captivitatis pœnâ redemérunt; & nocentes *Regicidæ* cuſtodiis clauſi, ſuperfuére ſceleribus, & infamiæ ſuæ.

At dedititiis interim domi Proditoribus,

1662.

ribus, quàm procul fugientibus; felicior fortuna fuit: Namque inter hæc, *Georgio Downingio Equiti*, pro *Carolo* Rege apud *Ordines Fœderatos* agenti compertum erat, *Delphis Hollandiæ* delituiſſe tres *exulantes Regicidas* (ex *Germaniâ* reduces) *Barchſtædium*, *Ochæum* & *Corbettum*, quos ORDINUM juſſu correptos, in *Angliam* Legatus remiſit, & ab Arce demùm Londinenſi in forum perducti, læſæ Majeſtatis damnabantur; & decimo quarto Calendas Maii, ad furcas Tiburnicas ultimo ſupplicio affecti. Barchſtædius, Ochæus & Corbettus *capiti:*

Fanaticâ omnes oſtentandæ Pietatis vanitate pompam mortis ducebant. Sed extremis proximi *Barchſtædius* & *Corbettus*, inter deformes moras & ardentium aquarum cyathos, invitas tremulaſque cervices indidêre laqueo, qui evanidum & exhalantem ſpiritum expreſſit. At ingens viſu *Ochæus* (ut erat imperterriti animi Vir, & fortitudine in vicinia mortis uſus) militariter exceſſit: haud indecoro exitu, ſi ſic pro patriâ occubuiſſet. *Ad furcas Tiburnicas ſuſpenſi, Apr.* 19.

Inſulſus olim Leguleius *Corbettus* erat, Hæreticorum quàm Legum placitis peritior, longo iſti & luctuoſo Corbetti *mores:*

1662. *Parlamento* Senator intererat, & in *Carolum* sæviſſimæ cujuſque ſententiæ vultuoſus Author.

Et Ochæi, Infima *Ochæi* initia ipſa obſcuritas celavit. *Londini* ſebaceæ mercis opifex, & ſortis ſuæ pauperiem fugiens, quæſtuoſiſſimam *Parlamenti* militiam ſecutus eſt; ubi *Tribunum* tandem (audaciæ pretium) vidimus, donec de mactando *Rege*, inter primarios Regicidas pro Tribunali ſederet.

Et Barchſtædii. Leviſſimus olim *Londini Aurifaber Barchſtædius* fuit, Reipublicæ cladibus in mendicitatis ſuæ ſubſidium uſus: Mirabantur autem, quibus notum erat præcallidum CROMVELLI legendis Magiſtratibus ingenium, hominem hunc vaniſſimum prætuliſſe; cui perinde per futilitatem adfuêre Tribunitia dignitas, & Londinenſis Arcis Præfectura, ac aliis per officia.

Sed felicior CROMVELLO fuit hujuſce ſtolida ferocia, quàm conſultior aliorum nequitia: flexit enim plerúnque oculos Tyrannus, juſsitque ſcelera, quæ non ſpectabat: hunc interim (furenti CROMVELLO conſiliorum intimum) haud dubium Protectoralis

ſævitiæ

ſævitiæ exactorem habuit; & quamdiu ſummus *Olivero* Lictor fuiſſet, tot Nobilium, tot optimorum Civium captivitatem aut cædes truculentus ſpectator non exhorruit. Arcis olim ſuæ præfixum foribus caput ſpectabatur, idémque illi locus ſummi ſceleris Theatrum & pœnæ ultimæ fuit. 1662.

Primum Parricidarum prodigium fuit mactandi Regis Impudentia: Illorum *Secundum*, in ſupremis ſuis Contumacia. Poſtquam enim occiſo *Carolo*, ſcelus admiſiſſent tanto *Chriſtiani* nominis, & *Proteſtantium* propudio, & execranti terrarum orbe *Fanaticorum* perfidiam: puduit beatulos hoſce Regicidas, & Proditorum ſacerrimos, inſidioſæ Pietatis ſuæ perfidiam in ultimo ſupplicio agnoſcere. Majórq; erat impudiciſſimæ Sanctitatis gloriola, & fama apud ſuos, quàm ut reos ſe eſſe ſcirent; aut ſubmitterent ſeſe in verecundiam confitentium ſcelera. *Regicidarum in ſupremis vanitas,*

Unicum ſingulis Parricidii ſui aſylum fuit SUMMI ORDINIS authoritas, (quam & ipſi toties violâſſent) quaſi vix quinquagenaria latronum turba PARLAMENTI nomine honeſtaretur. *Et unde.*

1662.

Nec color Imperii, nec frons fuit illa Senatûs.

Sed cum non ultrà viventibus eſſet nequitiæ locus, una ſupererat morientibus cura, fanaticâ quâdam exitûs vanitate obfirmare *Suorum* animos. Supremum potius offenſi Numinis ſupplicium fuit, tot temeraria vitæ ſuæ facinora deſperatâ morte compleviſſe.

Carolus *de Connubio deliberat.*

Jam cœlebs CAROLUS (in futuræ ſobolis, & perennis Imperii ſpem) de Connubio tandem deliberavit; & communicato cum *Senatu* conſilio, Illuſtriſſimæ Virginis CATHARINÆ, *Luſitani* Regis filiæ, ex veteri *Bragantiorum* gente oriundæ nuptias ambiverat: nec ſine læto gratantium *Ordinum* plauſu. Et *Luſitaniam* miſit deducendæ Sponſæ claſſem; atque ſecundâ navigatione Britannicum mare ingreſſam, ad *Vectæ* Inſulam *Dux Eboracenſis* præſonantibus claſſis ſuæ Tormentis ſalutavit.

Appulſam *Portſmuthæ* Sponſam *Carolus* excepit; eóque in loco, ingenti Nobilium comitatu, celebrata nuptiarum

rum ſolennia, & conjugale ſacrum GILBERTUS SHELDONIUS, EPISCOPUS LONDINENSIS firmavit: hinc à Rege marito in Palatium (repetitis nuptiarum gaudiis) deducta, à *Primoribus* Regni ſalutata, à *Londinenſi Prætore*, & Patriciis *Civibus* donata, ſpretis *Magnatum* laſciviis, ac innocentiâ morum & vitæ pietate celebris, Palatii delicias & ludicra in Cœnobii ſanctimoniam ſacravit. Felicior utique Regina, ſi fæcunditatem attuliſſet! 1662. Catharinam *Portugallicæ* ducit. *Maii* 22.

Jam quarto Nonis Junii, nocentium ultimus, HENRICUS VANEUS, Eques, per biennium captivus, coram Judicibus demùm comparuit: poſtquam mille fallendi fingendíque artibus, & quæſitis Legum argutiis, ſcitè magis quàm probè cauſam dixiſſet, Majeſtatis crimine reus agitur. Hen. Vaneus *Eques in jus vocatur.* *Jun.* 2.

Initium illi facinorum fuit *Straffordii Comitis* cædes, mox civilis Belli ſtimulator, & *Divo Carolo* pari ingratitudine ac perfidiâ infenſus, Proditorum partes aluit firmavitque: & publicis licèt damnandi Regis conſiliis (præcautus magìs, quàm innocens) *Illius mores, & geſta.*

1662. abſtinuiſſet: occiſo tamen *Carolo*, de mutando in *Rempublicam Principatu*, & Regum Imperio æternùm abolendo, ſedulam navarat operam.

Rerum tandem potiunti *Cromvello*, (quibuſcunque dominantibus obliquus, aut æmulus) neglectus exceſſit: at ſuboriunti iterum *Pſeudoſenatu*, *Brutum* ſeſe aut *Caſſium* ferens, ad Rempublicam acceſſit: mox *Salutis Concilio* intererat. Haud ſe retinentis ingenii Vir, & dubiæ mentis Sectarius, haud dubium Regio nomini odium prætulerat. Eadem PRIMO CAROLO perfidia fuit, eadem in SECUNDUM invidia.

Securi percuſſus. *Jun.* 14. Decimo octavo Calend. Julii, ad ferale pegma, propè *Turrim Londinenſem* perductus, pompoſâ quâdam noviſſimæ ſecuritatis ſpecie, cum reliquis antehàc Proditoribus conſimilia, de PRÆCELSA PARLAMENTI AUTHORITATE præfatus eſt: multa porrò de *Preſbyteriano* olim FOEDERE (naſcentium tot ſcelerum machinâ) quôdque ſublimior longè Hæreſiarcha, toties olim irriſerat contempſerátque.

Multa denique de ſuâ Innocentiâ, (nec ſine *Judicũ* convitiis) differentem,

Regius

1662.

Regius ad *Arcem Londinenſem Dux*, præ faſtidio tandem interpellavit: Lymphatus inde Eques, & dementer reciſſis quas manu continuit, ſcriptæ orationis chartulis; homo nunquam inter ſuos fortis, carnificis ictum (ſi non furenti propior) fortiter excepit: occubuitque MAGNI STRAFFORDII manibus, & VERSÆ MONARCHIÆ victima. J. Robinſonius *Eques.*

At meliori fato, reus cum *Vaneo* *Lambertus*, tantâ vocis vultûſque modeſtiâ cauſam dixiſſe ferebatur, ut foro licèt capite damnatus, & noviſſima meritus, Regiam tamen expertus clementiam, vitam ſerâ captivitate redémit. Lambertus *damnatur.* *Regis in eum clementia.*

Mediâ jam æſtate *Dux Ormonenſis* ſummo PROREGIS imperio auctus, *Hiberniam* conceſſerat: haud minora civilis illic Prudentiæ monumenta fundaturus, quàm olim *Hibernienſi* Bello, militaris gloriæ Trophæa poſuiſſet. *Dux* Ormon. *Prorex in* Hibern. *profect.* *Jul.* 9.

Conſidenti jam *Senatu*, conſidebat *Patrum Doctorúmque Synodus*, & graſſanti impunè Hæreticorum licentiâ, REGIS & PARLAMENTI opem *læſa Religio* ſpectavit, à *Regni* Eccleſiæ *Sacra Edicto confirmata.* *Maii* 19.

1662. ergo *Ordinibus*, in Comitiis, conſtitutum Edicto fuit, ſacroſanctos Eucharistiæ & Baptismi ritus, Precesque Publicas, & cuncta Eccleſiæ ſacra, vetuſto reformatæ fidei more celebrari, obgannientibus undique Sectariis, & palam detrectantibus.

Fanaticorum *licentia.*

Namque præmiis licèt ſcelerum & impunitate fruebantur; nullâ tamen Regum comitate demereri poſſit Fanaticorum obſequium. Sed Principis clementiam Hæreticorum invidia ſpectavit, & gravis *Fanaticis* erat indulgentis *Caroli* poteſtas. Neque adeo Proditoribus conceſſerat Rex; quin plus illis licere crederent, eandemque Religionum libertatem (quâ olim Patrem jugulaverant) perfrictæ frontis Sectarii à Filio depoſcunt.

Et exutâ *Regiæ Majeſtatis*, & *Legum* reverentiâ, frequentes habebantur ſeditioſorum hominum conventus: per Oppida Urbéſque inſtituta paſſim Hæreticorum conciliabula, auctáque ex concionalium Præconum audaciâ gliſcentis vulgi procacitas: hinc explicare partes, æſtimare vires, recenſere

1663.

recenſere numeros, & cuncta imminentium cladium præſagia verſabantur.

Primam concionabundi gregis rabiem, præterito anno *quintæ Monarchiæ* ſectatores ſub *Vennero* duce, *Londini* exciverant: ſed horum furor, ſicut *Marianum* olim *Romæ* fulmen, *intra Urbem ſeſe præcluſerat & expiravit*, cæſis in acie Proditorum ferociſſimis, aliiſque patibulo demum affixis. Venneri *Victoris fatuus.* Flor.

At hoc anno occultior latiórque pernicies, (eóque deterior) graſſabatur: Conjurationis cauſa (eadem quæ omnium) ſolutæ Religionis libido, & pervicax contumacia. *Nova* Fanaticorum *Conjuratio.*

In partibus aderant ex omni ferè Sectariorum colluvie deleti plures Cromvelliani militis *ductores*, trunci nuper *Senatuli* conſortes, *ſacrilegorum* permulti, Regis olim & Eccleſiæ reditibus aucti, hodiéque exuti: horum omnium conſilia ſecretior impii fœderis conſeſſus *Londini* moderabatur.

Summum ſceleris erat, repentino ſuorum impetu, *Regem*, & *Eboracenſem Ducem* confodere, trucidare *Albe-*

1664. *Albemarlium*, accenſâ Urbe, *Turrim Londinenſem* occupare, deripere *Ærarium*; pérque Reipublicæ viſcera, novum ſtruere *Fanaticorum* Imperium.

Famoſi Libelli prelo comperti.

Præſtitutum interea fuit, editis paſſim impudiciſſimis Libellis, perditiſſimorum hominum audaciæ præludere: At chartulæ interim in prelo correptæ, actúſque in furcam *Typographus*, officioſi ſceleris pœnas perſolvit.

Twinius Typographus ſuſpenditur. Feb. 24.

Fanaticorum conventus Edicto inhibiti.

Gliſcenti indies ex frequentibus Conventiculis Sectariorum audaciâ, vulgi procacitatem *Senatus* Edicto prohibuit, clauſis ubique conciliabulis, aut milite obſeſſis, nocentibus interim denunciato, *mulctæ* imprimis, mox *carceris*, *exilii* demum ſupplicio; ut pœnâ tandem coërcerentur, quos Clementia non mutâſſet.

At ingruenti propediem *Belgarum* bello, & legibus inter arma feriantibus, ſuboleverat adeò domeſtica pernicies, (& falsò vel fruſtrà nitenti *Irenarcharum* authoritate, cum impotentis vulgi contumaciâ) inſanabili & volatico malo, omne tandem intempeſtivum remedium, & poſthumum jamdudum fuit.

Jámque

1664.

Jámque diu tolerata, inulta diu *Belgarum* in mercantes ANGLOS maleficia, ingentem querelarum molem *Londini* conciverant. Quanquam nulla eſſet in terris gens, quam minùs ſibi hoſtem *Belgia* vellet, aut magìs amicum mallet, & nupero bello haud minorem ſeſe *Belgis* hoſtem præſtitiſſent *Angli*, quàm olim contra *Belgarum* hoſtes fortiter militâſſent; pacem tamen, quam paucis abhinc annis, neceſſariam magìs quàm honeſtam, à *Pſeudoſenatu* & *Cromvello* per ſupplices libellos pérque fœda Legatorum obſequia ſerviliter & ſordidè rogâſſent: & quam, inito cum *Carolo* fœdere, arctiùs ſanxiſſent fidem, iniquis modis violaverant.

De Belgarum *injuriis domi querelæ.*

Eò enim perfidiæ & arrogantiæ pervenerat gens Piſcatorum, & fallax mercantium turba, atque REIPUBLICÆ nomine REGIBUS infenſior: ut (præter detentam adhuc per ſummam perfidiam, quam pacis conditionibus ſpondiſſent *Poloroni* Inſulam) permultas *Anglorum* naves, *Indiæ Africæque* oris agentes diripuère, & converſis in prædam navibus mercibúſque, captivos duxérunt *Anglos*;

Belgarum *injuriæ quales.*

1664. *Anglos*; & injuriis addita Ludibria & Sævitia.

Plures *Indorum* portus ab incolis diu *Anglis* potitos, bellicis navibus obſidérunt; & præcluſo per ſcelus *Anglorum* commercio, quas vili ſeorſim emiſſent *Indorum* merces, immenſo aliis gentibus pretio pendebant domi.

Holmeſium lædunt,

Subpræfectum *Holmeſium* *Caroli* juſſu, *Anglorum* res circa *Indiæ Africæque* littora modeſtè procurantem, Prædones terræ & maris *Belgæ* (quos non ſatiaverat Oriens, nec Occidens) rupto generis humani fœdere, tormentis ſæpiùs aggreſſi ſunt. Accenſus inde *Holmeſius*, præfidentis ingenii Vir, & contumeliis inſolens, non ſuſtinere uſque pugnam, ſed inferre ſtatuit: & converſis in Propugnacula Tormentis, atque expugnatis tandem *Belgarum* Præſidiis, haud impunè fuit importuni hoſtis perfidia.

Et provocant.

Falsò deinde accuſant.

At læſum toties, toties inceſſum *Holmeſium*, tanquam Raptorem & belli cauſam, confictis undique queremoniis, apud *Carolum* poſtulabant; quaſi anticipato priùs injuriarum ſtrepitu, ſuam inde perfidiam

diam abſolverint, vel per ludibrium. 1664.

Hæc & permulta alia *Belgicæ* gentis latrocinia concitaverant adeo PARLAMENTI iras, ut armis illicò ulciſcenda tot Mercatorum damna, & ingentem pecuniæ vim vindici CAROLO decreviſſent: & tam infidâ Pace tutius Bellum.

Belgarum *injuriis* Parlamentum *accenditur*, & Regem *invocat*.

Quanquam graviſſimum offenſo *Regi* fuit, ſuorum audire injurias, & indecorum ferre: alias tamen concordiæ vias ante vim & arma experiri placuit; miſſis inde ad *G. Downingium Hagæ Comitis* Legatum literis, reparandas actutum tot ſuorum injurias ab *Ordinibus* expoſcit: ſed, æqua licèt poſtulanti *Carolo*, fruſtrà fuit mercantium *Belgarum* rapinas apud mercantes *Ordines* deferre, cum penes eoſdem tot flagitiorum authoritas eſſet, & commodum.

Carolus *æqua per Legatum rogat*,

Sed fruſtra.

Sed inter hæc de offenſionibus diſſidia, irarum odiique cumulo acceſſerat nova, & tum primitùs audita, *Belgicæ* perfidiæ fama. Præterito enim anno, *Belgarum* Ordines tot *Algerinorum* Piratis & latrociniis oppreſſi, per Oratores multâ officii fideique ſpecie,

1664. ſpecie, CAROLUM invocaverant, ut conjunctâ ſimul claſſe, Barbarorum injurias ultum iret: Nec detrectavit REX ſuorum, & Chriſtiani Orbis ſaluti conſulere, miſitque Subpræfectum *Lauſonium* mare ſæpiùs expertum, & bellicâ inſtructum claſſe, *Belgarum* ſub *Rutero* navibus, conjunctis viribus ſuccurrere.

Sed dum *Lauſonius* circa *Africæ* littora, expugnandis Raptorum navibus (quarum plures ſubmerſerat incenderátque) totus incubuiſſet; ecce furtivo curſu abceſſit *Ruterus*, & ORDINUM juſſu *Guineam* contendit; ubi ſecuros, nec hoſtile quidquam metuentes *Anglos*, nec meritos aggreſſus: haud minora in nos exercuit latrocinia, quàm quæ in Barbarorum gentem ulciſci prætulerat, ſed majori longè perfidiâ.

Guineæ Ruteri *facinus.*

Tam inſidioſi facinoris recens adeò *Londini* invidia flagraverat, crevitque immensùm furor, ut cunctas *Belgarum* naves in *Angliæ* portubus agentes offenſus acriter *Rex* ſubinde attineri juſſit, & omiſsâ omni pacificantium curâ, arma utrinque expediebantur.

Sed

1664.

Sed inter ſuboleſcentis belli præludia, hoſtes, contumelioſi magis quàm graves, *Belgæ*, conſcriptis improbè Libellis, Numiſmatibus, & expoſitis paſſim deridiculis figuris (per inſitam vaniſſimæ gentis Barbariem) concitaverant acrius vivida *Anglorum* odia.

Contumelioſæ Belgarum *procacitas.*

Serviles reliquas *Fœderati Belgii* Provincias regebat *Hollandia*, dolo & viribus potentior: *Hollandiam Devittius* quidem circumducebat, homo haud ſtultè nequam, ſed vaferrimi ingenii Vir, & pravè facundus, atque majori interim ſolertiæ quàm fidei famâ. Obfuêre arrogantis Viri & *Hollandiæ* ſuæ artibus *Orangiani Principis* domi faſtigium, & nimia *Britannici Regis* in Oceano potentia.

Devittius Belgarum *Dictator.*

Principem itaque, *Naſſaviæ gentis* delator & Proditor, ſecretis offenſionibus inceſſerat; & dum ORANGII authoritatem apud Ordines imminutam iret, cuncta ipſe adminiſtravit ſolus, & tuendæ *Belgicæ* Libertatis ſpecie, ſupremus dominabatur; tantaque ſui fidentia occeperat hominem ex ſebo natum, ut poſt proculcatam domi *Principis* dignitatem, cunctis

Illius mores artéſque.

Europæ

1664. *Europæ Regibus* per vices illuſiſſe crederet. *Britanniæ Regem* quò magis metuit, oderat; & cùm Proditori olim *Cromvello* (morum cognatione) amicus fuiſſet, eò *Carolo* infenſior hoſtis: certè à *Devittii* & factionis ſuæ Incude (poſt inexplebilem *Belgicæ* gentis avaritiam) cuncta in *Anglos* odia ducebantur.

Belgarum *fidentia*,

Tantam procacibus *Belgis* Arrogantiam extulerat ſparſa in vulgum fama, *Haud eo ſtare* Britanniæ *res, ut poſt exolutum modò Civile* Anglorum *Bellum*, *tantæ ſupereſſent opes, exteris procul gentibus inferre arma; nec domi ſtabile adeò* crudi Regis *Imperium*, *ut* Belgarum *injurias ulciſceretur; haud tutum adhuc ſuorum fidei arma concedere, ægrè in poſterum deponenda.*

Et unde.

Neque eundem nunc eſſe hoſtem Anglos, *quem ſub* Pſeudoſenatu Belgia *experta eſſet*; Sectariorum *excidio excidiſſe omnem bellicæ gentis ferociam, & ſupereſſe tantùm ignavorum vecordiúmque turbam*; *nec in* Anglià *deſuturam ingentem* Fanaticorum *vim, qui in* Regem *pro* Belgis *forſan induerent arma, aut certè contra* Belgas (Conſcientiæ Libertatem *colentes*) *haud*

1665.

haud ferrent. Nec diſtulêre noſtri *Belgarum* terris fugitivi Proditores, tot falſiſſimorum hominum rumoribus fidem facere.

Ferali inſequentis anni bello, Raptorum utrinque navibus præludebatur; & *Anglæ* Claſſis Subpræfectus *Alanus*, ſuorum ſaluti, & hoſtium ſpoliis intentus, domum navigantem *Smyrnenſem Belgarum* claſſem *Gaditano* mari aggreſſus eſt, haud levi fugientium clade merſiſque navibus aliquot, & cæſo claſſis ductore *Brachellio*, quatuor hoſtium naves captivas abduxit, quod primum belli præmium & lætum augurium fuit: unam interim immenſis opibus refertam, & plurimis fatiſcentem ictibus voracior Pelagus hauſit. Alani *facinus Gaditano mari.*

Neque adeò occupaverat CAROLI animum imminentis belli fortuna, quin aliis inſuper curis, aut amœnitatibus vacaret; & decimo octavo Calend. Maii, celeberrimum *Londinenſium* Medicorum *Collegium* inviſit, multo DOCTORUM officio cultúque exceptus. Rex *Collegium* Medicorum Lond. *inviſit. Apr.* 15.

Harvæum ibi, primum Circulantis Sanguinis *Typhym* marmore expreſſum

1665. vidit; & PRÆSIDEM audivit *Enteum*, Anatomes ſacra pari facundiâ ac arte differentem, ibique Equeſtri dignitate donatum; vidit illic *Protomedicum Bateum* Pharmaceuticâ juxta ac *Latinâ* venuſtate inclytum, & *Fraſerium* Regium nunc *Archiatrum*; & *Gliſſonium* Philoſophiæ & Medicinæ conſultum; & felicem porrò *Micklethwaitium*; & *Coxium* morum elegantiâ ſpectabilem; & *Scarburghium* humanarum ac philoſophicarum rerum ſcientiſſimum, ac Vatum numeris celebrem; & *Whartonum Glandularum* abdita recolentem; & acerrimæ mentis *Merettum*: præter permulta alia magna MEDENTIUM nomina, quorum demùm ſodalitio, ſummus Medicinæ INSTAURATOR *Williſius*, (heu nimiùm fato properus!) Auctoreſque *Lowerus*, & *Needhamus* nova contulêre decora.

Regia Claſſis ad bellum inſtructa, ſub Aprilis finem.

Jámque accincta in portu ſtabat Regia Claſſis, in tres ordines diviſa. Primum ſummus *Angliæ* Admirallus, DUX EBORACENSIS ducebat: Secundo impoſitus ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS RUPERTUS: Tertium Subpræfectus SANDOVICI COMES,

Præcipui Duces,

(mari-

1665.

(maritimis expeditionibus percelebris) adminiſtravit.

Vicarias in Claſſe Præfecturas habuêre *Lauſonius*, & *Alanus*, à Mediterraneo bello reverſi; & *Jordanus*, *Spraggius*, *Smitheus*, *Mingius*, & *Tiddimanus*, celeberrima per Oceanum nomina. *Et Subpraefecti, &c.*

Plures ex NOBILIUM ordine *Honorarii Milites* in claſſe vehebantur; & nullo licet Militiæ munere perfuncti, tam neceſſario intereſſe bello (EBORACENSIS ſecuti fortunam) & periculi decus poſcebant. *Milites Honorarii.*

Conſtabat univerſa claſſis centum ferè navibus, Nautarum Militúmque numerus circa triginta millia ferebatur; & undecimo Calend. Maii, feſtis nautarum vocibus, & expanſis undique velis, pendulíſque laſcivo vento inſignibus, *Britannicum* mare trajecta claſſis ad bellum navigavit, & obſeſſis *Belgarum* portubus, circa *Texellii* ſinum ſtabat in anchoris: nec auſo inermi & pavido hoſte, poſt tot ſuorum ampullas, à portubus movere greſſum. *Claſſis Regia, Nautarúmque numerus.* *A portu ſolvit. Apr. 22.*

Cuncta interim, per vaſtum undique Oceanum, EBORACENSI DUCI *Regia Claſſis Belgarum litora obſidet.*

1665. & Regiæ Classi concesserant; & permultæ reduces *Belgarum* naves, sub littoris sui conspectu, in excubantium undique *Anglorum* manus incidérunt, quasi obvias opes deferret Deus.

Cunctabundi hostis pertæsa, recedit.

Dux autem Eboracensis pugnæ magis quàm prædæ avidus, (postquam per mensem ferè, prodeuntem à portubus hostem suo in littore frustrà expectâsset) dato dimicantibus concessi maris spatio, & classico commeatu per moras exhausto, in *Britannicum* mare secessit.

Egreditur Belgica Classis.

Jam *Belgicæ* classis Præfecti, obsessi littoris ignominiâ, sed suorum magis convitiis dirisque permoti, deducendis actutum navibus, velis remisque contendunt.

Illius numerus & Præfecti.

Supra centum navibus instructa erat Ordinum classis, & septifariàm dispositа, quam regebat *Opdamius, Trompius, Cartenerius, Schrampius, Stillingwolfius, Cornelius* & *Joannes Evertsei.* Summum autem classis imperium penes *Opdamium* fuit. Sed dum *Belgæ* in altum intendissent cursum, mercantium *Anglorum* naves ab *Hamburgo* solutæ, & errore per obscurum

Hambergenses Anglorum *naves capit.*

ſcurum noctis abductæ, in hoſtium claſſem innavigabant: neque ſuam agnovêre captivitatem, donec ſerum eſſet avolantibus effugium. Sed vetitæ, infauſtæque profectionis pœnas luebant. 1665.

Lætum adeò futuræ pugnæ auſpicium, ex captis Mercantium navigiis, hoſtibus erat; ut (directis in *Angliam* velis) non Regiam ultrà expectare claſſem, ſed ſuo in littore hoſtem petere, (nec dubitato eventu) decreviſſent. EBORACENSIS interim *Harvicum* propè, Regiæ claſſis ſtationem habuit, ubi ut primùm à Speculatorum navigiis inaudiſſet adventare hoſtium claſſem, optatæ toties pugnæ lætus, ipſis Calendis Juniis, deductis in altum navibus, quantùm accelerare poterat, in *Belgas* intendit curſum.

Die ſequenti viſa procul hoſtium claſſis, utramque nox tandem propiùs adduxerat; & tertio Nonis Junii, cœptâ cum luce, pugna incœpta fuit.

Inſtructâ ad prælium claſſe, frontem ducebat invictæ mentis PRINCEPS RUPERTUS; mediâ in acie *Navalis pugna. Jun.* 3.

1665. DUX EBORACENSIS ſtabat; juſſitque SANDOVICI COMITEM navalium rerum expertum, terga defendere. Adverſam indè aciem hoſtis explicuit.

A RUPERTI PRINCIPIS globo initium pugnæ fuit. Sed adhuc præternavigantium remeantiúmque claſſium tormentis procul certabatur. Ventus *Anglis* in partibus aderat; ex adverſo *Belgæ* præripere flantem jam Zephyrum nitebantur: Sed dum de vento utrinque contenditur, variatis indè pugnantium navium ordinibus, media *Anglorum* acies hoſtium frontem propiùs acceſſerat; & *Lauſonius* qui proximam Prætoriæ navim regebat, concitato impetu hoſtem aggreſſus eſt: armatis indè claſſibus propiùs conſeritur pugna, & utriuſque gentis fata commiſſa ſunt.

Mox *Prætorias* utrinque *naves* fortuna contulerat. Atrox indè cædes, nec incruenta EBORACENSI Duci victoria fuit: donec *Belgarum* imperitiâ, an noſtrûm tormentis, (accenſo fortè nitrati Pulveris penu) defractam OPDAMII navim momento Pelagus abſorbuit. ILLE ſublimi raptus fœdam

Opdamii navis mergitur.

dam cum ſuis fugam honeſtâ morte prævenerat: mox lapſu fluctibus immerſus, 1665.

---- *Animam morti non credidit ui.*

Extincti Ducis fato ſucceſſit ſuorum clades; & auctis certatim viribus, *Angli* perculſis hoſtibus acriùs inſtabant. At *Belgarum* claſſi ſuſtinere ultrà prælium, nec vires erant nec animus: ſed expanſis undique velis, effuſum capeſſunt curſum, jámque non pugna ultrà, ſed fuga; & ſtrages erat, & ſolita fugientium calamitas; quatuor enim hoſtium naves, avolantium temeritate vel metu implicatæ, admoto incendiario *Anglorum* navigio, commiſſis invicèm flammis urebantur. Idem poſtea tribus fugientium navibus, (antennis, malíſque mutuò intortis) fatum erat, & à proximâ incendiariâ puppi junctìm accenſis.

Belgarum *fuga.*

Accenſæ Belgarum *naves.*

Hinc captæ plures *Belgarum* naves, pluréſque ſubmerſæ, nec ante ſeram jam noctem cædis & fugæ finis. Idem proximò mane inſequentium *Anglorum* impetus erat, idem fu-

1665. gientium *Belgarum* pudor, quo nil magìs levamento fuit, quàm quod ab EBORACENSI DUCE vincerentur.

Clara, & priscis *Anglorum* victoriis par, hujus diei fortuna fuit; captis, cæsisque octo hostium millibus, & cadentibus in acie *Opdamio*, *Cartenario*, *Stillingwolfio*, *Scrampió*que, *Belgicæ* classis primo loco Præfectis.

Occisi Belgicæ *Classis* Præfecti.

Accensarum, demersarúmque & captivarum navium numerus, circa octodecim ferebatur. Hostium plures à fractis, mersisque navibus, in mari præcipites, & per undas circumnatantes, Dux EBORACENSIS (etiam in irâ clemens) emissis undique vectariis navibus, salvari jussit.

--- Et viles animas, perituráque frustrà Agmina, permisit vitæ. ---

Cæsi Anglicæ *Classis* Honorarii Milites.

Felicior *Anglis* victoria quàm lætior erat, cæso Honorarii Militis flore; ad DUCIS pedes occubuêre *Portlandii*, & *Falmuthæ* Comites, & *Muscarrensis* Baro, & impiger Militiæ juvenis, *Burlingtonii* Comitis filius, Patriæ suæ felicitati suæque victoriæ

victoriæ immori læti, EBORACENSEM habuêre ſupremæ teſtem Virtutis, & expirantium fata lugentem. Strenuus *Marlburgii* Comes, Subprætórque *Sanſonius* pulcherrimâ morte deſiderabantur. Accepto in genu vulnere *Lauſonii*, poſt ſeſquimenſem, egregiâ famâ & ſuâ in dignitate exceſſit: atque ſuorum licèt triumpho (cui plurimùm contulerat) ad extremum moriens non uteretur, fruebatur tamen. Levis interim occiſorum, ſauciorúmque numerus, & unius tantùm naviculæ jactura; jámque DUX EBORACENSIS geſtientem CAROLI claſſem, hoſtium ſpoliis & triumpho gravem, ſua in littora reduxerat. 1665. Lauſonii *mors.*

Et dum ORDINES poſt fractam ſuorum claſſem, ductorum fugas vecordiámque, ferro & laqueis malè mulctâſſent; REX interim CAROLUS ſuorum fortiſſimis, pro meritis conſuluit; & *Alanum*, *Smitheum*, *Jordanum*, *Mingium*, *Tiddemannum*, *Spragiúm*que (magna, & præclara auſos) Equeſtri dignitate ornaverat.

Deletâ interim malè pugnando, *Belgarum* claſſe, Raptori procul *Rutero* latrociniis intento, felicior paulo fortuna Ruterus *Piraticam exercet.*

1665. fortuna fuit. Poſt *Guineum* facinus, alias per *Americam Anglorum* Inſulas aggreſſus eſt: *Barbadum*, accinctam munitámque Inſulam ſuâ cum infamiâ fruſtrà attentaverat: illinc *Terram novam* profectus, & facilè potitus in prædam cuncta, ſpoliáque convertit; & exceptis immaniter incolis, direptíſque omnium opibus, atque Inſulâ in ſolitudinem versâ, ad ſuos rediit. Mox, ex Piratâ, Admirallum vidimus, ut qui ſolus, poſt defunctum modò *Opdamium*, claſſicâ præfecturâ dignus haberetur.

Barbadum *aggreditur.* *Apr.* 20.

Terram Novam *vaſtat.*

Admirallus factus.

At hoc anno, minor erat apud victos animus, quàm cum armatis iterum *Anglorum* navibus prælium committere. Dux itaque Eboracensis (vincendis hoſtibus, quàm deripiendis lætior) cùm jam nulla ſupereſſet pugnæ ſpes, reliquum anni mari abſtinuit.

Et Regiæ claſſi impoſitus *Sandovici* Comes, ad *Belgarum* oras iterum contenderat, obtulitque (fruſtra licet) alteram belli vicem, ſed quærendus erat hoſtis, ut vinceretur.

Sandovici *Comes* Belgas *provocat.* *Jul.* 3.

At poſt ablatum mare, pulſámque claſſem, & famæ naufragium ſuæ,

novus

1665.

novus ORDINIBUS terror ex appellentis propediem *Indicæ* ſuæ claſſis (tot immenſis *Belgarum* opibus refertæ) periculo fuit, nec minor *Anglis* erat quæſtuoſiſſimæ prædæ fames: At claſſis *Indica*, clauſi jam *Belgii* ſui famâ, & excubantium undique *Anglorum* metu alieno tutior littore, quàm ſuo, *Bergam* notiſſimum *Norvegiæ* portum confugerat.

Illuc præceps advolavit Regiæ Claſſis pars: ſeptem inde Celoces ſinum ingreſſæ, *Belgarum* claſſem littoris, arciſque præſidio fidentem, concitato impetu petebant; neque arduum habebatur potiundæ claſſis opus, ni (ſecùs quàm optaſſent *Angli*) alium ab arce hoſtem, converſis in Regiam claſſem tormentis, experti ſint. *Anglis* interim (avidiùs quàm conſultiùs prædæ inhiantibus) leve bicipitis jam facti hoſtis periculum fuit: & ingreſſi portûs audaciam virtus æquavit.

Regia Claſſis Indicam Belgarum *claſſem* Bergæ *aggreditur.*

Jámque ſex fermè horas atrociter undiquaque pugnatum fuit: immensâ *Indicarum* maximè mercium ex fractis, laceríſque navibus pernicie; & (ab arce potiſſimùm) haud levi

noſtrûm

1665. *noſtrûm* clade: donec edito magnæ, ſed intempeſtivæ fortitudinis documento, nè vires ultrà fruſtrà inſumeret, receſſit claſſis: & cum hoſtium ſpoliis potiri non licuit, de merſis triumpharet; quaſi ipſis lucro fuiſſet, quod victis periit.

Peſtis Londini *orta.* Sed inter navalis Belli palmas, intercepta vincentium *Anglorum* lætitia, & breve gaudium fuit: luctuoſus enim hic annus erat ſæviſſimæ Peſtis exortu, haud ab ullis Siderum motibus, nec venerea Lue (vaniſſimorum hominum commentis) in Peſtem versâ; ſed advenum virus *Belgarum* (apud quos nuperrimè graſſaretur) mercibus, in *Angliam* navigaſſe certior fama tradidit; & hoſtium armis inſuperabiles, *Belgico* contagio vincimur.

Inde per Angliam *graſſata.* Poſtquam *Londini* per integrum ferè annum, ingenti mortalium ſtrage deſæviiſſet, alias quamplurimas, aliáſque longè diſſitas *Angliæ* urbes, pari exitio pervaſit. Neque conſiliis humanis, nec Medicorum ope levaretur peſtilentiæ vis: donec ſupra ducenta hominum millia intra biennium deſiderarentur; nec dies, noctéſque expirantium ſupremis ſufficiebant

1665.

ficiebant, nec mortuorum Sepulcris Cœmiteria, preſſis licèt, confertiſque funeribus condebantur.

Rex deſertâ Urbe, longo Aulicorum comitatu, *Oxonium*, intactam adhuc Urbem, & cœli ſalubritate felicem conceſſit: illuc etiam convenêre Judicum Tribunalia, forâque. Carolus Oxonium *abiit.*

Nobiles interim, & prædivitum turba (vitatâ hominum frequentiâ) ruri ubique, villiſque delituêre. Soli inter majorum gentium Nomina, *Londini* intererat DUX ALBEMARLIUS, & CRAVENI COMES, quod in tantâ Civium clade, & ſolatio Urbi, & ſubſidio fuit.

Extincto demùm *Londini* contagio, Regem civium deſideria revocabant, ipſiſque Calendis Februariis, *Oxonio* redux in Urbem *Carolus* multo Civium officio, feſtiſque per noctem ignibus exceptus eſt; & Principis aſpectu læti, ſalvum illi, & incolume hodie *Londinum* ſuum gratulabantur. *Rex* Londinum *rediit. Feb.* 1

Teterrimam *Anglorum Belgarúm*que ferociam finitimæ adhuc gentes procùl ſpectabant. LUDOVICUS autem

1665. autem *Gallorum* Rex, opum armorúmque potens, quanquam *ſequeſtri* perſonam aliquandiu ſuſtinuiſſet: poſt attritam tamen mutuis cladibus noſtrûm, hoſtiúmque nauticam vim, opportuniorem ſibi in Oceano potentiam (adverſanti licèt gentis ſuæ genio) fruſtrà ſperaverat.

Perculſos itaque ex nuperrimâ clade *Belgarum* animos, oſtenſo claſſis ſuæ ſubſidio, permulſit, palpavítque: nec invitus, ut mari dominarentur *Belgæ*, quos ipſe tandem in terris expugnaret: Inque *Anglos* bellum indixerat, quod *Londini* viciſſim Præconum vocibus, denunciatum in *Gallos* fuit; eadémque in nos *Dani* mens erat, ut latiùs tandem triumpharet CAROLUS.

Bellum in Gallos Londini *indictum. Feb.* 10.

Jam præter *Belgas*, (æmulos noſtros in Oceano hoſtes) contra inanè procul minitantem *Galliam*, & *Daniam Belgis* obſidem, una & immota ſtabat, & adhuc par omnibus, *Anglorum* virtus.

Nullis licèt unquam auſpicis, quàm ſub EBORACENSI DUCE, valuiſſet magìs nautica *Anglorum* res, & levis Ipſi ſalus; charior tamen REGI,

1665.

REGI & REIPUBLICÆ fuit ALTERA BRITANNIÆ SPES, quàm tam vili & plebeio hoſti, ex regnatrici domo Principem, ſummum ad faſtigium, ſceptráque natum ultrà objicere.

1666.

Anno itaque milleſimo, ſexcenteſimo, & ſexageſimo ſexto, PALATINUS RHENI PRINCEPS RUPERTUS, & DUX ALBEMARLIUS, ad Regiæ Claſſis Præfecturam delecti ſunt, & Prætoriam navim pari & concordi potentiâ conſcenſi, inſtructam ad bellum claſſem in altum ducebant: mox properis *Secretioris Concilii* literis, jubetur PRINCEPS RUPERTUS, ductis ſecum viginti expeditis Celocibus, aliiſque *Portſmuthæ* ſtantibus, in *Galliæ* littora vela convertere, & LUDOVICI claſſem *Belgarum* ſubſidio ſuccurrentem, ante quàm jungerentur aggredi.

Princeps Rupertus & *Dux* Albemarliæ *claſſis Præfecti.*

Rupertus *in* Gallicam *claſſem mittitur. Maii 29.*

Utinam tanti non putaſſent molimine tanto hoſtem præcidere, nec nobis nociturum unquam, nec ſuis laturum opem; neque erat in GALLICA Claſſe, quod poſt

1666. poſt fuſam nuperrimè *Belgicam*, timeretur.

Belgica *interim claſſis* Albemarlium *provocat*,

Sed arreptì inde diviſæ Claſſis opportunitate, *Belgæ* (nunquam niſi numero, aut inſidiis fortes) quinque & octaginta bellicis navibus, diminutam jam Regiam Claſſem aggreſſi ſunt. Superfuêre per *Britannicum* mare ſpatianti ALBEMARLEO, vix quinquaginta celoces, homo autem impavidus ſui, & fugæ neſcius, nec quicquam fortunæ ſuæ arduum ratus, hoſtem numero licèt adeò majorem (tanta in virtute fiducia eſt) tanquam minorem contempſerat; & ſalute famæ poſthabitâ, ipſis Calendis Junii, adulto jam die, & diſpoſitis in aciem navibus, magno animo capeſſit pugnam. Hìc numero certabatur, illic virtute: horreſcente interim fluctibus mari, *Anglorum* claſſi fruſtrà fuit infimus tormentorum ordo, hoſtium lateribus nunquam obverſus fruſtrá.

Et pugnant. Jun. 1.

Multus in prælio ALBEMARLIUS erat, & ſtrenuè ubique rem geſſit, conſerta inter pericula timorem exutus: atque obversâ tandem Prætoriæ navis in hoſtem prorâ, tormen-

1666.

tormentiſque ſuis undicunque fulminantibus, in denſiſſimam hoſtium aciem incurrit: poſt innumera invicem data, acceptáque vulnera & fracto ſummo Prætoriæ malo, laceríſque velis (factâ per cædes viâ) curſum obliquè flexit: pars Regiæ claſſis reparantem vela DUCEM tuebatur; animoſiùs altera inſtauraverat pugnam, nocte tandem, hoſtiúmque receſſu diremptam.

In pugnâ accenſæ quatuor *Belgarum* naves periérunt: merſaque Subprætoria una, & minoris pretii altera. Tres interim *Anglorum* naves à reliquâ claſſe procul præliantes hoſtis eripuit.

At claſſis Regiæ, armamentis potiſſimùm, & nauticæ ſupellectili hoſtium vis incubuit; omnibus autem ſummâ nautarum curâ noctu reſtauratis, mane ſequenti quarto Nonas Junii, ALBEMARLIUS convocatis ad Prætoriam Ducibus, in hunc modum locutus fertur:

Si quid nobis geminatum hoſtium numerus terroris eſſet, herì fugiendum foret: ſed turbâ licèt impares, cæteris ſuperiores ſumus. Auxit Belgis *fidu-*

1666. *ciam*, numerus, *nobis*, vis animi *dedit*; *cogitemus illam fortunam*, *virtutem illam sæpiùs olim* Belgarum *clade expertam*; *idem hîc hostis adest*, *quem totiès olim expugnavimus*, *totiès pro consuetudine devicimus. Sentiat hodie adversarius*, *divisâ licèt Classe*, *integrum adesse animum*, *& jam memores gloriæ nostræ*, *& aviti decoris: quanto honestiùs foret*, *haud inultâ morte inter undas occubuisse*, *quàm captivâ classe*, Belgarum *populo Triumphi spectaculum trahi? leviori dedecore vincimur*, *quàm fugimus.*

--- Lethúmque juvat præferre timori.

Erecta indè classis, pari salutis suæ, & nimii hostis contemptu, ac reparandi decoris avida, aciem poscit, & pericula; atque ALBEMARLIUS virtute securus suâ, & ardore militum usus, haud detrectavit pugnam: undique concurrerant classes, & permistis navibus pugnabatur.

Renovatur pugna. Juv. 2.

--- Sævus

1666.

----- Sævus complectitur hoſtem
Hoſtis, & implicitis gaudent ſubſidere membris,
Mergentéſque mori. -----

Inſtabat undique *Anglorum* vis, & ſemper in adverſis major: plus nimio lieèt hoſti recens *ſuorum* ſubſidium adveniſſet. Tot *Belgarum* navibus circumventa Regia claſſis, enixis in hoſtem viribus ruebat; nec una pugnæ facies, donec plures *Anglorum* naves, ſciſſis fruſtatim velis, fractiſque antennis exceſsêre pugnâ: reliquæ hoſtium molem pertulerant, repulerántque: unam Regiæ claſſis navim ſubmerſit hoſtis, imparem receptui alteram ipſi confecimus. *Belgis* interim unica Subprætoria navis incenſa deſiderabatur: at tam numeroſo hoſte, nobis hodiè non vinci difficilius ſuit, quàm ſæpiùs olim viciſſe.

Sed cùm jam viribus plùs quàm humanis, ſuam, & *Britanniæ* gloriam approbâſſent, ne prælium, quod tantâ *ſuorum* virtute inclytum feciſſent, inconſultâ nimis ferociâ, temerarium

Regia claſſis de receſſu deliberat. Jun. 3.

1666. rarium facerent; *Concilii Navalis* poſtridiè decretum fuit, præmiſſis ante ſauciis navibus, & integrarum ſedecim hoſtium fronti obverſis, valido, & ordinato receſſu, claſſis ſaluti conſulere.

Pudebat Victorem maris Populum; ignominiâ, & irâ flagrantem, jam declinare hoſtem, quem ſequi toties conſueverat; & proſtabat in Prætoriâ ALBEMARLIUS, etiam in fugâ minax, ſuóque in receſſu hoſtibus terribilis. Nec auſis adhuc abeuntium terga laceſſere; ſed directis à puppibus tormentis, appetentium primos vel fugavit, vel merſerat: *Nec ceſſat naufraga virtus.* Majórque ad pugnam erat cedentium animus, quam inſequentium fuit.

Pœnituit jam *Anglorum fortunam* gentis ſuæ virtuti obſuiſſe. Namque inter hæc (*Gallicam* claſſem quærentem fruſtrà) RUPERTUM ingens pugnantium navium, tormentorúmque fragor procul attigerat: Velis indè retrò converſis, in ſuorum ſubſidium maturavit curſum, nec levè pugnandi impetu ferebatur. Spes indè noſtris, hoſtibus metus.

At

1666.

At opportunum RUPERTI adventum ALBEMARLII claſſis (compendio maris uſa) haud opportuno ſatis congreſſu excepit: imperitâ enim temeritate propera, inſidioſis arenarum ſyrtibus illiſa, & implicata fuit: At, reliqua licèt claſſis ſubindè emerſiſſet, dignior tamen meliori fato, *Subprætoris Aſcoughii* navis arenis altius impacta, ab hoſtibus ſuccenſa periit. Captúſque *Aſconghius* fœdum poſteà *Belgarum* populo ſpectaculum ducebatur.

Rupertus opportunè ad ſuos redit.

Conjuncta jam Regia claſſis, pridiè Nonas Junii, vertentes nunc terga *Belgas* inſequitur, ínque aciem provocat. Extimulaverat RUPERTUM victoriæ ſpes, ALBEMARLIUM, vindictæ, dubium utrùm majori animo. Initum jam quartò prælium fuit, (ſi unquam aliàs in Oceano) ferox, & memorabile; quanquam poſt tridui pugnam, majoribus propè odiis, quàm viribus certabatur.

Renovatur iterum pugna. Jun. 4.

Infracto adhuc, & recenti ſuorum globo, fronte inſtabat RUPERTUS, quos animos gerebat vultu ferens: Secutus à tergo ALBE-

1666. MARLIUS, novo impetu percitus, & alienis viribus auctus ſuas recepit; nec ausâ obviâ hoſtium claſſe propiùs conſerere pugnam: donec RUPERTUS conficiendæ rei cupidus (quò virtus ferebat) in conſitiſſimam *Belgarum* aciem ſeſe intuliſſet, fuſis aliquot hoſtium navibus, merſiſque; & ni (tot defunctæ laboribus) ALBEMARLII Prætoriæ armamenta plurimùm defuiſſent, ni infauſto ſub veſperam ultimi hoſtis ictu fractus *Rupertinæ* navis malus lapſúſque, inſequentibus obſtaculo fuiſſet, juſtiorem hodiè de fugacibus certatim *Belgis* triumphum reportâſſent. Sed illo die agnovit *Belgium* æquis juxta, iniquíſve viribus, invictos eſſe *Anglos*, & CAROLI fortunam reverebatur.

Belgica *claſſis fugit.*

Regia claſſis in portum rediit. Jun. 6.

Jam fuſis undique hoſtibus, lætior inde Regia claſſis, quò majoribus perfuncta periculis videretur; in ſuorum portus vela convertit, & reparandis actutùm navibus ſtrenuè inſudatum fuit.

Viciſſe interim apud *Belgas* ferebantur, qui feliciter evaſerant: & poſtquam de fuſis *Anglis*, per ludos domi

1666.

domi triumphâſſent, majori futilitatis ſuæ ludibrio, victoriæ famam exterarum gentium riſu, circumferebant foràs.

Et conſutâ raptìm claſſe, ſub *Harvici* conſpectum, in Britannico mari hoſtem provocant; nullo utique pugnæ conſilio (quod ex ſequentibus comparuit) ſed Belgicâ quadam vanitate, & mentitæ victoriæ fide: ut primùm enim decimo ſexto Calendas Auguſti, à portu ſolviſſet Regia claſſis, reſiluit hoſtis, vadoſis ſui *Belgii* ſyrtibus fidentior, quàm virtuti ſuæ.

Belgæ Regiam claſſem provocant.

Claſſis Regia ad bellum exit, Jul. 17.

Octavo Calendas Sextilis in altum evecti RUPERTUS, ALBEMARLIÚSque ſuâ in ſtatione hoſtem aggreſſi ſunt: nec pugnam detrectabant *Belgæ*, non ex fiduciâ, ſed cùm coacti eſſent, auſi viderentur: vel propinqui littoris perfugio, & ingenio loci ſubnixi.

Et Belgas *aggreditur, Jul.* 25.

Quatuor fermè horas, atrox utrinque certamen erat: mox *Belgæ* majori fuſi dedecore, quàm clade, ſublatis undique velis, in fugam ſeſe effuſiſſimè convertunt; & Prætoriam RUTERI navim avolantibus

Belgica *claſſis fugit.*

1666. exemplo fuiſſe fama fuit. Inſequenti acriter Regiâ claſſe, continenti tormentorum fulmine, donec elapſis per vada hoſtibus, plus Regiæ claſſi periculi eſſet, à brevi *Belgarum* littore, quàm à profugo hoſte.

Obſtabat adhuc ſub *Trompeo* (*Belgarum* fortiſſimo) globus, in quem pars Regiæ claſſis, quæ terga defenderat, ſeſe obvertit, & multâ jam editâ cæde per undas compulerat, haud levi hoſtium clade, donec per obſcurum noctis, ſuorum ſecuti fortunam Zelandica littora furtim appuliſſent.

Incendiariam *Ruteri* navim *Jordanus* ſubmerſerat; captâ in acie Subprætoria *Bancherti*, & valentiſſima *Harlemenſium* navis, utraque ab *Anglis* (pugnæ magis quàm prædæ intentis) mox exuſta. Zelandicæ claſſis Præfectus *Evertſeus*, Friſlandicæ *Tirichius Hideſius*, Subprætórque *Conderus*, & ſex porrò navium Præfecti occubuêre. *Anglis* interim unica Navarchi *Hannamii* navis plurimis confoſſa vulneribus, ab Incendiariâ *Belgarum* puppe (elapſis priùs militibus nautiſque) abſumpta fuit.

Com-

1666.

Commoverat magis Regiæ claſſis animos tam turpis hodiè *Belgarum* fuga, quàm ſuperioris pugnæ pericula, & indignabantur præcipitem adeò profugi hoſtis Triumphum reportâſſe. Sed apud *Belgas*, inhoneſta cum ſalute fuga gloriâ ſemper antiquior fuit.

Jam Belgica rurſus littora Regia claſſis obſederat, & conceſſi maris, victæque claſſis pudorem hoſtibus impegeret: qui nunc vincentium *Anglorum* virtutem, toties fuſi in latebris agnovérunt; & cum jam undique defeciſſet hoſtis, captæ indiès mercantium naves profugæ claſſis pœnas luebant. *Regia claſſis Belgium obſedit.*

Sed nec hoſtium finibus otiari voluerit *Anglorum* virtus, PRINCIPIS itaque RUPERTI, & ALBEMARLII Ducis juſſu, *Robertus Holmeſius* Eques (auſis ingentibus par) *Brandaream Friſiæ* ſubjectam Inſulam contendit, poſitóque ad freti oſtium octo navium præſidio: Ipſe ductis ſecum quinque incendiariis navibus, & ex celocibus unâ, præter actuariola, ſcaphaſque militibus, & nautis inſtructa, felici teme- *Holmeſius Brandaream petit, & incendit.*

1666. temeritate ſinum ingreſſus eſt: atque omnes in portu naves, quarum centum & quinquaginta erant, pluréſque *Indicis* onuſtas mercibus, incendit. Direptâ deindè *Schillingiæ* urbe, (capite Inſulæ) & mox exuſtâ; prædâ imprimis militibus conceſsâ. *Holmeſius* indè ſuis ubique periculi, vel gloriæ ſocius, & collucenti latè navium, tectorum flammâ, pari hoſtium ſtupore, ac clade ſecurus exceſſit.

Et cum jam hoſtis toto ceſſiſſet mari, RUPERTUS, ALBEMARLIúsque, poſtquam nominis ſui terrorem per Oceanum late circumtuliſſent, domum intendérunt curſum.

Utramque experti fortunam *Belgæ*, cum nec æquis, nec nimiis ſuorum viribus invaluiſſent, oſtenſam ſæpiùs, ſæpiùs cunctantem Gallicæ claſſis opem gnaviter exquirunt, & converſis in GALLIAM velis, votíſque, BRITANNICO REGI hoſtem alienâ in terrâ quærebant.

Belgica claſsis Galliam petit. Aug. 16.

Ad famam provecti iterum hoſtis, Regia claſſis ab *Angliâ* confeſtim ſolvit, & præternavigantes *Caletum Belgas*

Inſequitur Regia claſsis.

1666.

Belgas, Gallico in littore, obſidio clauſit: At furenti præter modum Euro, & procelloſo fluctibus mari, altum diutiùs tenere haud integrum *Anglis* fuit. *Hellenicum* inde Sinum, ſtationem (intercipiendâ Gallicâ claſſe *Rupellæ* ſtanti) peropportunum contendunt.

Sed tanta interim foràs de triumphatis hoſtibus auſpicia, præceps, & luctuoſum planè infortunium præciderat domi: quaſi jubenti fortunâ, proſpera noſtra adverſis radiarentur.

Londini *incendium.* *Sept.* 1.

Ipſis enim Calendis Septembribus, ferale LONDINI incendium occeperat, Ira illud Numinis in rem Anglicanam fuit. Initium imâ Urbis parte, *Thameſim* propè, in Piſtoriis ædibus ortum fuit, & inter tecta præ vetuſtate ignibus prona, atque illis referta mercibus quibus flamma alitur. Cæca interim nox (errore cuncta, aut metu volvens) extulerat cladem: perterritis Civium animis, prolatiſque naſcentis mali remediis; acceſſitque (malorum additamentum) fatalis quædam, & præmatura Civium, (neglectis nimis ædibus)

1666. ædibus) de transferendis mercibus curâ; poſtremùm à ſequaci flammâ hauſtis.

Quanto Anglæ claſſis incommodo perfurit in undis Eurus, majori plurimùm accenſæ Urbis clade, flammarum vim in potiſſimam *Londini* molem impulerat. Vento citum, & inſuperabile mox incendium, ab imis in edita aſſurgens, & fundens tractim favillas, reſtinguentium viribus illuſerat. Cernere erat rutilantium hîc flammarum fulgor, illic ruentium propè tectorum fragor; & (quo nil luctuoſius Sol unquam viderat) tot miſerorum Civium aſpectus, & plorantium fæminarum luctus, & planctus infantium, & feſſâ ætate ſenum. Inter deſertas divitum tabernas, ſævior ignibus ad prædam aderat latrunculorum, raptorúmque turba.

Nec quiſquam, humanorum caſuum immemor, quem non commoverit ruentis nunc LONDINI facies. Jam centum ferè vota DEO *Templa*, & *Noſocomia* plura, tot avitæ pietatis monumenta: Permulta inſuper *Publica ædificia*, immenſis majorum

1666.

majorum ſumptibus extructa; & inclytum SIONIS COLLEGIUM, & celeberrimum terrarum orbe PERISTYLIUM LONDINENSE, & MUNICIPALIS CURIA, & verendi decoris PAULINUM TEMPLUM, (documenta cladis) ſolo æquata, aut ſemiuſta flammis ſpectabantur.

Cunctis in PERISTYLIO circumflagrantibus, ſola intacta flammis GRESHAMII Fundatoris effigies (poſt exuſta tot Regum decora) ædificii ſui cineribus ſupererat: uſque adeò munifici Viri famæ conſuluit fatum.

Tantâ ſuorum clade, CAROLUS erectus licet, excelſúſque, & humanis rebus altiùs impoſitus: natalis tamen LONDINI ſui ruinis mœſtus ſpectator aderat hortatu, ſolatio, & conſiliis cuncta moderans. Juſſitque accenſo pyrii pulveris impetu, primas incendio domus evertere, ut (proruptis per ſpatia ædificiis) quod Urbis adhuc ſupereſſet, ſalvum præſtaret: remedio in ſpem noviſſimam ſervato.

DUX inſuper EBORANCENSIS, mul-

1666. multáque NOBILIUM frequentia laudem strenuis, afflictis opem, & cunctis sistendæ flammæ exemplum præbuere.

Postquam (graviori Civium damno quàm quod æstimari posset) per quatriduum desæviisset: versisque in in cineres tredecim tectorum millibus; majori tandem summi numinis ope, quàm humanis viribus sistebatur Incendium.

Restinguitur Incendium. Sept. 4.

Fidissima Civium pars, CAROLI luctu mœstior quàm suo, Regiam inter se caritatem singulari officio spectabat. Sed inter *Fanaticorum* cœtus, Patriæ cladibus in convitia usos, parum abfuit quin jussum incendium nunciaretur: saltem interruptam à Prætoriano milite restinguentium operam; frequentior autem fama incesserat, ab erronibus quibusdam *Gallis* accensam fuisse Urbem: & in fidem, plurima metu, aut invidiâ ficta jactabantur; ut vulgi mos est, fortuita quæque in causam trahentis.

Fanaticorum *de Incendio commenta.*

At quibus nunquam exciderat LONDINENSIUM imprimis procacitate, cepisse omnes DIVO CAROLO clades:

clades: Urbémque ſacro perfuſam ſanguine, Pientiſſimi Regis ſupremum ſpectâſſe diem; quibus memoria fuit, *Civium partem* CAROLI cædem efflagitaſſe, & permiſiſſe *Alteram*, Ultorem ſupplices agnovérunt DEUM. 1666.

Hic memorabilis flammæ exitus LONDINUM excepit, poſtquam per annos ſupra bis mille, in illam quæ vix ſuſtineri poſſet, magnitudinem conſcendiſſet. Tot exterorum hoſtium, tot belli civilis cladibus inſuperabilis Urbs: haud alio quàm prorupti ignis fato, lignea, & flammis matura nimis civitas occidiſſe potuit.

At deletâ flammis Urbe LONDINENSIUM major, quam poſt Gallicum Incendium ROMANORUM olim VEIOS migrantium animus fuit: nec quiſquam deſperatâ reſurgentis LONDINI fortunâ de mutando ſolo verba fecerat; ſed ſubitariis tectis, aut ſuburbanis ædificiis excepti confertim Cives de novâ conſtruenda Urbe deliberabant. Liv. *lib.* 5.

Appetens, vergenti jam anno, hiems, navalibus pugnis finem impoſuit; *Claſſes in portus redeunt.*

1666. ſuit; & noſtrûm hoſtiúmque claſſes in ſuos quæque portus receſſerant: at reliquum anni, Prædatoriæ utrinque naves, mercantium claſſes reciprocâ clade infeſtabant.

1667. Expertum præterito anno profugi adeò, & volatici hoſtis bellum ad nova & diverſa jam conſilia CAROLUM adduxerat, ut quos pugnæ lubricos, & inſtabiles adeò habuiſſet *Belgas*, intercepto mercantis populi commercio, ad bellum ardentius, pacémve flecteret.

Carolus claſſem bellicam domi detinet, Et omiſſo hac æſtate, bellicæ Claſſis apparatu, conſilium fuit, diſpoſitis *Scotico mari* celocibus aliquot, aliiſque *Plimuthæ* ſinu excubantibus, ultrò citróque clauſum tenere Oceanum Britannicum.

Et Oceanum excubiis claudit. Et communito ad freti oſtium *Sherneſſæ* aggere; firmato in fluminis confinio *Upnorenſi* arce, & ferreâ catenâ *Medweagi* fluvio impoſitâ, Regiam claſſem *Chathamiæ* ſtantem, ſartam tectámque protegere; quod majori præcipientium conſilio geſtum fuit, quàm exequentium fide.

Jam

1667.

Jam verò Potentiſſimi GALLORUM, SUECORUMque Reges per Internuncios CAROLUM, & BELGARUM ORDINES ad Pacis conditiones invitârunt. Et cum jam paululum reſediſſet noſtrûm, hoſtiumque bilis, atque alternis belli cladibus utrinque feſſi, & interrupto diu commercio mercantium populorum: *Bredam* adventuros ineundæ pacis LEGATOS utrinque conſentiabatur.

Finitimi Reges pacificationem ſuadent.

At ſub pacificationis, induciarúmque fide, revolutis à belli curis *Anglorum* animis, & excubantibus procul noſtrorum navigiis: pars *Belgicæ* claſſis canalis adytum quo iter eſt *Chathamiam* innavigavit, & expugnatis in littore præſidiis, ruptóque fragili & exili nimis ferri vinculo, *Caroli* claſſem, quam in acie toties procul fugerant *Belgæ*, jam ſine juſto nautarum numero, ſine milite, ſine bellico apparatu diſcinctam, & ſtativis deſidentem navalibus aggreſſi ſunt.

Belgæ *Regiam claſſem furtim inceſſunt.* *Jun.* 10.

Quatuor interim celoces ab incendiariis navibus periérunt, aliáſque furtivo raptas triumpho abduxit hoſtis; haud majori Belgicæ

1667. verſutiæ, quàm noſtræ vanitatis labe, & caruit defenſione clades.

Rex autem CAROLUS, ſpreto inſidioſæ gentis facinore, & victor ſui, promiſſi fidem præſtavit, & Pacificationis colloquium haud ultra differebat, misitque HOLLISIUM Baronem, &, nunc Regi è *Secretis*, HENR. COVENTRÆUM (quorum prudentiæ Rex multum tribuerat) agendæ pacis Arbitros; & *Bredam* convolantibus *Belgarum* Legatis, de pace tandem conveniebant; nec indignioribus demùm conditionibus, quàm quas ante arma CAROLUS popoſcerat.

Oratores utrinque conveniunt.

Bellum pacificatione abſolvitur. *Jul. 9.*

Jámque navale bellum, EBORACENSIS felicitate, fortitudine RUPERTI, & ALBEMARLII virtute geſtum, pace tandem abſolvebatur, quo nil ſpecioſius erat, quàm quod perfidæ gentis trahebat fatum: & hoc bellum occidentis indies BELGII initium fuit.

De Londini *ſtructurâ conſulitur.*

Ad pacem ex æquo utilem, haùd minimum contulerat fælicius reſtaurandæ Urbis otium: & cum jam bello vacaret CAROLUS, LONDINI ſui cineres in gloriam vertit; ligneam, quam perdiderat, Urbem, jam lateritiam,

lateritiam, & flammis imperviam fundaturus. Nec permiſſa Civi incompoſita ſtruendis ædibus, aut vaga licentia; ſed dimenſis imprimis vicorum ordinibus, & laxatis (directo utrinque curſu) viarum ſpatiis, æquatâ quiſque fronte extruxit domum; tanto reſurgentis LONDINI decore, ut veterem periiſſe Urbem vix pœniteret. 1667.

Et decimo Cal. Novembribus REX multo Civium officio in *Urbem* exceptus, primum fundendi LONDINENSIS PERISTYLII lapidem auguſtâ dextrâ poſuit: ſecundum adjecit DUX EBORACENSIS, haud vano utique naſcentis ædificii omine. Periſtylium *fundatur. Octob.* 23.

Defleto memorabilis Viri funere, annales noſtros honeſtabo: hoc enim anno, *A. Coulæus* fato conceſſerat, notiſſimum ingenii famâ domi, foriſque nomen; & ſummis per *Angliam* Proceribus, eruditæ voluptatis comes. Ingenii felicitate, & cœleſti quodam afflatu Poëticam coluit; ſuiſque præſertim numeris (monumentis æternæ laudis) poſt MARONIS & *Latii* delicias, PINDARI furores æquaverat & decus *Atticum*. Quo Abr. Coulæi *mors.*

1667. non ſublimior alter, nec modeſtior fuit, eodémque vixit nitore, & decore, quo ſcripſerat; numeris & moribus juxta æquabilis.

1668. Proximus jam annus conſtruendâ porro URBE inſumptus erat: tantâ hodiurni luxûs magnificentiâ, ut Cives purgatis areis, ruderibúſque, aurifodinas offendiſſe crederes. Nec hujuſce magis quàm ſequentis ævi miraculum erit, inter tot nocivi Martis incommoda, & damna mercantis populi, ſtruendis Civium ædibus ſuperfuiſſe tantam pecuniæ vim, & flagranti interim bello pacis negotia geri. Jamque triennio minùs, nova Urbs ſtetit; & luſtrata flammis, & expiata ſuis tandem viribus revaluit.

Londinum undiquaque conſtruitur.

Liv. *lib.* 26. Haud tanti erit Romanæ virtutis apud poſteros fama, Urbi olim imminenti *Hannibale*, emptos *Romæ*, redemptóſque fuiſſe agros: cum hodie auditum fuerit, poſt nuperrimæ peſtis cladem, poſt everſam incendiis Civitatem, & inter trium in nos potentiorum gentium Bella, tantâ fortunæ ſuæ fide, & altitudine animi, novam

1668.

novam ac ſuperbientem adeò fundare Urbem, & voluiſſe *Anglos*, & potuiſſe; & tot afflictis rebus auſos in diverſa reſpexiſſe.

Accenſæ Urbis Columna.

Poſteà eo in loco ubi primùm occeperat Incendium, *Cives Londinenſes* infortunio majores ſuo, & clade magnifici COLUMNAM CELSISSIMAM, centum & ſeptuaginta pedes longam, ex ſaxo *Portlandico* marmoris æmulo poſuere; *accenſæ Urbis* magnum, ſed triſte ad poſteros monumentum, vel *reſtauratæ* trophæum.

Theatrum Oxonienſe anno 1664 fundatum, perficitur.

Ne auguſtiſſima magnificentiæ exempla à priſcis ſemper annalibus repetamus; hoc anno GILBERTUS SHELDONIUS (poſt defunctum antehàc JUXONIUM) ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS, OXONIENSE THEATRUM compleverat, æternum Muſis *Sacrarium*, & votum *Apollini* Capitolium. Atque eruditis Academicorum ludis CIRCUM voluit Togatæ Gentis: novum Academiæ decus, & quinquennalem operam, immenſis ſumptibus ARCHIPRÆSUL extruxerat, C. WRENII Equitis (Mathematicarum artium peritiſſimi) ingenio uſus.

1668. Mirantem extra magnificentia tenet; intus oblectat decor, visâ elegantis formæ Orcheſtrâ, & pulcherrimis ſurgentium undiq; ſubſelliorum ordinibus, ſublimè viciſſim extructis.

Infrà conditur ſubterranea imprimendis libris Officina, eximiæ artis opus: uſque adeò gloriæ ſuæ monumentum, temporum famâ Fundatori vigebit, dum in THEATRO ſuo ſupererunt voces hominum, dum ſuo in PRÆLO literæ.

1669. Præterito anno, ORMONENSIS Dux in *Angliam* conceſſerat; poſtquam *Hibernos* ſummâ cum prudentiæ laude, per ſeptennium PROREX adminiſtrâſſet, & hoc anno Baro *Robertſius*, fidei clarus, & conſilii, ac ſummâ poteſtate dignus *Præfecturæ* ſucceſſit.

Baro Robertſ. Hiberniæ *Prorex. Sept.* 20.

Conſentientibus interim Academicorum ſuffragiis, Dux ORMONENSIS *Oxonii* CANCELLARIUS delectus eſt; atque haud levi *Hibernenſium* curâ & moleſtiis ſolutus, mollioribus Muſis præficiebatur.

Ormondiæ *Dux*, Oxonii *Cancellarius. Aug.* 5.

Circa Calend. Septembris, *Angliæ* MATER REGINA MARIA, poſtquam Rege marito per duos & viginti

Regina Mater *in* Gallia *moritur.*

ginti annos exul, & vidua caruiſſet: poſtquam (revirenti prolis ſuæ felicitate recreata) *regnantis Filii* imperium vidiſſet: utriſque ſortis humanæ documentis inclyta, ex veterno apud *Gallos*, provectâ jam ætate, è vivis exceſſit. 1669.

Et ſub anni hujuſce finem, ALBEMARLII Dux mortalitatem explevit. Jámque Viri bono publico nati (quem multa ambigua, proſpera multa extulérunt) ſuprema traditurus, originem, mores, & quali fortunâ ſit uſus, paucis repetam. *Ducis* Albemarlii *obitus. Jan.* 2.

In *Devonienſi* agro, occiduâ *Angliæ* regione, natus erat GEORGIUS MONCHIUS, anno milleſimo, ſexcenteſimo octavo, ex Equeſtri familiâ ortus: Fratrem habuit majorem, paternæ dignitatis hæredem; minorem alterum, literis innutritum, & (poſt reſtauratum CAROLUM) Hereſordienſi Præſulatu donatum. Illius *ortus, & genus.*

Medius GEORGIUS fortunam in caſtris ſecutus, militiæ nomen dederat, quam prælibavit juvenis *Gadibus* imprimis contra *Hiſpanos*; mox Gallicâ expeditione ad *Retæ* Inſulam, infelici utriuſq; exitu; ſed lætiora caſtrorum rudimenta *Juvenis militiæ nomen dedit.*

1669.

Sub Carolo I. *in Scotico bello ſtipendia fecit.*

Oxonienſi Comiti apud *Belgas* militanti approbavit. Gliſcentibus poſteà *Britanniæ* cladibus, quas primùm exitiabilis *Preſbyterianorum* rabies SCOTIÆ ſuſcitaverat, domum reverſus, ſub CAROLO PRIMO in *Scotos* proficiſcenti meruit, & anno proximo, contra perditiſſimos HIBERNIÆ motoe ſicarios Tribunus inceſſit.

In Hibernia *militavit.*

At flagranti poſtea Civili *Anglorum* Bello, dum SENATUS fraterrimos per flagitia *Scotos* in ſubſidium advocâſſet. *Rex* è contra pactis cum *Hiberniæ* Proditoribus armorum induciis, *Anglicanas* ibidem Legiones ad ſe accerſerat: Quorum contubernio, reverſus in *Angliam Monchius*, inter alios *Hibernicæ* militiæ Ductores, *Oxonii* ad CAROLI partes acceſſit; ſed dum Regis juſſu accitas ab *Hibernia* Legiones in caſtris luſtrâſſet, à *Fairfaxio* pro SENATU militanti ex improviſo corripiebatur: & in Arcem deductus *Londinenſem*, quadriennium ferè carcere confecit. Deſtitutum illic clauſúmque, *Rex* centum aureorum libris ſecretò donavit; tantæque rerum ſuarum tunc temporis

Regi officium Oxonii *defert.*

A Parlamentariis capitur.

Londinenſi *Arce clauſus.*

1669.

temporis anguſtiæ, haud modicum Regiæ charitatis argumentum fecerant.

At *captivi* demum tædio feſſus, & commutatis pro libertate partibus, PARLAMENTI militiæ inſcriptus eſt; iterúmque in *Hiberniam* conceſſit; ubi plurima contra *Hibernenſes* ſicarios fortiter geſſerat, haud ſine ſpe magni aliquando Ducis; ut qui ſolus ad civile bellum artes bonas contuliſſe videretur.

Ad Parlamenti *partes accedit.*

In Hiberniam *abiit.*

Hìc primò CROMVELLUM PARLAMENTI arma in *Hibernos* trahentem promeruit: rem auſus jubenti magìs neceſſarium quàm ſibi honeſtam. Confecto *Hibernenſi* bello, proximâ æſtate, proficiſcentem in *Scotos* CROMVELLUM ſecutus eſt; nec momenti parùm illius fortunæ in *Scotia* contulerat.

Cromvellum *in* Scotiam *ſequitur.*

Terrâ toties victor, vetus belli Dux in æquore militiam expertus eſt; & contra *Belgas* ſub PSEUDOSENATU rem Anglicanam proſpero mari geſſit, & hoſtem duplici demum pugnâ in fugam conjecit.

Contra Belgas *ſub* Pſeudoſenatu *militat.*

Rerum denique potiunti CROMVELLO, *Scotiæ* Præfecturam obtinuit: quàm

Scotiæ *à* Cromvello *præficitur.*

1669. quàm pari æquitatis ac prudentiæ famâ per quinquennium ferè adminiſtraſſet: donec gliſcentibus LONDINI *Senatorum Tribunorúm*que diſſidiis, de reſtaurando *Rege* anſam captaverat.

At quo primùm tempore de CAROLI imperio deliberâſſet, haud is ſum qui definiam: iniquiùs interpretantes, & ad deteriora proni fortuitum in Regem officium fabulabantur; æſtimatione autem rectâ, præſtitutum fuiſſe veriùs teſtantur alii, & longâ annorum ſerie deſtinatum conſilium. Certè REX OPTIMUS peractæ magis fidei, quàm cœptæ memor, ingentis beneficii loco ALBEMARLII obſequium complexus eſt, lautéque donaverat.

Proximo ante obitum anno, graveſcenti valetudine, in Hydropem inciderat: quo pertæſus Medicorum conſilia, & medicamine quodam clinico uſus, in ſpeciem convaluit; aperto autem poſt exitum cadavere, multa aquarum vis viſceribus inundavit, & utroque cordis ventriculo, vasíſque continuis, ingens concreti ſanguinis moles coaluerat: effœtus enim

1669.

enim ex diutino Hydrope, tam ſanguinis, quàm cordis motus ſtagnanti demum chyloſo in præcordiis ſucco occaſionem præbuit: & clauſo tandem volvendi ſanguinis fonte, maturavit anhelanti fatum.

Ultimum ferè ALBEMARLIO mortalium operum filii nuptiæ erant: quem paucis ante obitum diebus lectiſſimæ virgini, natæ OGLÆI COMITIS, NOVOCASTRENSIS DUCIS nepti, in familiam longa decora præferentem, matrimonio locaverat, quod decus invicem, & firmitudo fuit.

Poſtquam *Britanniam* in Triumpho ſuo latam vidiſſet; poſtquam firmatum per decennium regnantis CAROLI ſpectâſſet Imperium; & maxima poſtquam Reipublicæ munera, pace, bellóque adminiſtrâſſet: ſexagenario major conceſſit fato, quod conſtans, lubénſque excepit; ut poſt anteactæ ætatis Trophæa, de morte tandem triumpharet.

Filium prolem unicam reliquerat, ſuâ & PATRIS claritudine florentem, vigentémque Reipublicæ ſpem, & à Rege filii loco exceptum.

Vale-

1669. Valetudini ejus, ſæpè aſſidentem CAROLUM, mœrentémque noviſſimâ in luce habuit; quâque animi charitate viventem REX ALBEMARLIUM complexus eſt, morientem non deſtituit.

Exequiarum Pompa. Ab Ædibus enim *Sommerſettenſibus* differtum odoribus corpus efferebatur Regio ſumptu, & longâ exequiarum pompâ WESTMONASTERIUM perductus, multo funeris oſficio, & bonorum omnium fletu, inter Regum monumenta, & auguſtos cineres, *Triumphalis ſenex* condebatur.

Quibus tanti Viri habitum, vultúmque noſcendi cura eſt: decentior quàm elegantior erat; mediocris corporis proceritas, ad firmitudinem unicè provecta, & venuſta quædam oris gratia ſupererat; vultúque compoſito magìs, quàm ſevero.

Illius Fortitudo. Fortiſſimum bello IMPERATOREM facilè crederes, non ſuæ modò ætatis ſummis Ducibus, ſed priſcis ante ſe Bellatoribus conferendum: adeóque inclaruit militaris Viri fama, ut (qui timidum haud obtrectarent) nimios ALBEMARLIO animos aſcribunt. Omnem ferè ætatem armis in-

1669.

inſumpſerat, ſenex tandem vincendo factus, & galeatus caneſcebat.

Per *Britanniam*, *Hiberniámque*, per mare, & terras; decus, & nomen, & titulos ALBEMARLIO (tanta Viri felicitas) fortuna quæſiverat. Certè aderat Homini abdita quædam gerendis rebus, & tacita ſolertia: atque omnes ferè prudentiæ artes SILENDO colebat. *Illius Prudentia,*

Reliquas animi virtutes per modeſtiam excoluit: neque unquam auditus erat commemorandis quæ feciſſet nimius, aut meruiſſet. Ibit in ſecula Viri fama (omnium haud dubiè mortalium primi) qui Regem exulem tanto officio devinxerat, ſine faſtu, aut æſtimatione ſui: ſolâ obſequii conſcientiâ lætus. *Et Modeſtia.*

Nec poſt Reſtauratum CAROLUM, *conſortem* ſeſe Imperii, ut *Veſpaſiano* olim *Mucianus* ferebatur, ſed *miniſtrum* gerebat; nec in manu ſuâ fuiſſe Imperium, donatúmque unquam jactaverat. PSEUDOSENATÛS Arrogantiam, & Impudentiam CROMVELLI in ſuam indè gloriam verterat: fide quàm ambitione pronior *tradere* Imperium, quàm retinere. Tac. *Hiſt. l.* 3.

Felicem

1669. Felicem porrò ſuſpicimus ALBEMARLIUM, non facti tantùm claritudine, ſed opportunitate officii: tam rectæ indolis PRINCIPI imperium detuliſſe, æquiſſimo fidei ſuæ æſtimatori, & ſub quo nunquam intutum, aut exitioſum foret, plurimùm promeruiſſe: nam *beneficia* Regibus præſertim *eoúſque læta ſunt dum videntur exolvi poſſe, ubi multùm antevenêre, pro gratia odium redditur: & Principibus rarum & propè inſolitum eſt, ut ſe putent obligatos, aut ſi putent, ament.*

Tacit. *Annal. lib.* 4.

Plin. *Paneg.*

Pace jam domì ſtabilitâ, clauſóque *Jani* Templo, lætior exceſſit ALBEMARLIUS, ut bonorum omnium caritate magìs, quàm adverſis BRITANNIÆ rebus optaretur: eò omnibus magis deſiderandus, quò magis proſpexiſſet ne deſideraretur: neque aliud in Repub. dolendum præter ſui funera reliquerat: florenti CAROLI Imperio, certanti adhuc PARLAMENTI pietate, cum PRINCIPIS modeſtiâ. Idem omnibus domi felicitas erat, quam ſibi unuſquiſque optaverit, & diuturna foràs pax, atque alta gentium quies; donec ruptores

ruptores fœderum BELGÆ, *Anglorum* rurſus arma irritâſſent. 1669.

Illius olim Belli geſta, erectam *Britannicæ* gentis fortunam, futuróſque CAROLI Triumphos, uberiorem pro vergentibus annis meis materiam ſepoſui.

FINIS

INDEX RERUM
Alphabeticus.

A.

ANN. Aiſhlæcooperus *Eques ad* Carolum *legatus.* *Pag.* 67
Alani *facinus Gaditano mari.* 113
Dux Albemarlius *Regiæ claſſis Præfectus.* 127, & ſeq.
Cum Belgis pugnat. 128
Sub Carolo I. *in Scotico bello militavit.* 152
Et contra Hiberniæ rebelles. ibid.
Unde ad Regem Oxonii rediit. ibid.
A Parlamento capitur. ibid.
Londinenſ. arce clauſus, & à Rege donatus. ibid.
Ad Parlamenti partes accedit. 153
In Hiberniam iterum abiit. ibid.
Cromvellum in Scotos ſequitur. ibid.
Sub Pſeudoſenatu contra Belgas meruit. ibid.
Scotiæ à Cromvello præficitur. ibid.
De reſtaurando Rege deliberat. 154
Filii connubium moriens conficit. 155
Ex hydrope obiit. 151
Illius ortus & elogium. ibid.
Regis in morientem charitas, & dolor. 156
Exequiarum pompa. ibid.
Weſtmonaſterii inter Regum ſepulchra conditur. ibid.
Illius fortitudo & bellica laus. ibid.
Illius prudentia & modeſtia. 157
Vide Monch.
Amneſtia *edicto firmata.* 78
Arcus *Triumphales.* 92

G. Aſchoughius *Eques, accenſâ nave ſuâ à Belgis captus.* 133
Dan. Axtellus *Tribunus in Bootbium ab Hibern. accerſitur.* 12
Cum Lamberto conjurat. 60
Regicida ad furcas Tiburnicas laqueo plectitur. 86

B.

BArclæus *Baro ad Carolum legatus.* 66
Barcherus *Independentium Paſtor ad Monchium miſſus.* 22
Barkſtædii *Tribuni, & Regicidæ pœna.* 97
Caput Londinenſi arci præfixum. 99
Barrovius *Monchio Medicus primarius.* 28
Bellum *civile à Parlamento cepit.* 1
De Belgarum *injuriis Londini queritur.* 107
Quales erant. ibid.
Subpræfect. Holmeſium lædunt, & provocant. 108
Mox falsò accuſant. ibid.
Belgarum *injuriis Parlamentum accenditur.* 109
Illorum contumelioſa Procacitas. 111
Fiducia, & unde. 112
Belgicæ claſſis numerus. 116
Septem claſſis Præfecti. ibid.
Ab Eboracenſi Duce victa, & fuſa. 118, & ſeq.
Belgica *claſſis Albemarlium provocat.* 128
Numero major in fugam cogit. 129
Belgæ *Regiam claſſem in Britannico mari poſcunt.* 135
Ad claſſis Regiæ conſpectum recedunt. ibid.
Pugnant poſtea, & vincuntur. 136, & ſeq.
Opem invocantes ad Galliæ littora confugiunt. 138
A Regia claſſe ſecuti. ibid.
Et Gallico littore obſeſſi. 139
Regiam claſſem in ſtativis navalibus furtim aggrediuntur. 145

Bredam postea Pacificatores mittunt. 146
G. Boothii *Equitis Insurrectio.* 11
Vincitur, & capitur. 13
Arce Londinensi clausus. ibid.
Libertate donatus. 55
Baronicâ dignitate auctus. 11
Jo. Bradshavius *sceleratæ Curiæ Præses.* 87
Sub Furcas Tiburnicas sepultus. ibid.
Illius mores, & impudentia. ibid.
Broochius *Baro ad Carolum Hagæ Comitis legatus.* 66
Bruceus *Baro ibidem legatus.* ibid.

C.

CArolus I. *securi percussus.* 2
Carolus II. *Bredam accedit.* 64
Per Greenvillum Eq. mittit ad Senatum literas. 65
Et ad Monchium & Prætorem Londinens. &c. ib.
A Senatu publicatur. 65
Et donatur. 67
Redux Prætoriam navim conscendit. 69
Dubrensi in littore portum ingreditur. 70
Dorovernium contendit. ibid.
Illic Monchium Periscelide ornat. ibid.
Roffæ pernoctat. 71
Legiones in viâ lustrat, & laudat. ibid.
In agris Georgianis à Prætore Londinensi, & Civibus veneratus. 72
Londinum intrat. ibid.
Introitus pompâ, & comitatus. ibid.
A Regni Ordinibus in Triclinio Regio exceptus. 75
Concilium Secretum designat. 76
Scotiæ, & Hiberniæ regimen instituit. 80
Inaugurati solennia. 92
Westmonasterii inunctus. 94
Novum Parlamentum vocat, hodie superste. 95

Catharinam Lusitanam Portsmuthæ ducit. 101
Æqua à Belgarum Ordin. per legatum rogat. 109
Collegium Medicorum Londinense invisit. 112
Orto Londini contagio, Oxonium abiit. 125
Postea Londinum rediit. ibid.
Bellum in Gallos indicit. 126
In Urbis incendio, cives solatur, & hortatur. 141
Oceanum excubiis claudit. 144
Peristylii Londinensis fundamentum ponit. 147
Catharina *Regina in Angliam venit.* 100
Portsmuthæ nupta. 101
A proceribus Regni venerata. ibid.
A Londinensi Prætore, & Civibus donata. ibid.
Jo. Careuveus *Senator, & Regicida in patibulū actus.* 83
Carillus *Independentium pastor ad Monchium missus* 22
Cartenarius *Belgicæ classis Præfectus occiditur.* 120
Castletonius *Baro ad Carolum Hagæ Comitis legatus.* 67
Hen. Cholmlæus *Eques ad Regem legatus.* ibid.
Tho. Clargesius *à Fleetwodo pacificator ad Monchium missus.* 22
Cum secretis consiliis Londinum rediit. 23
Monchium de Londini rebus admonet. 26
Nottinghamiæ Monchio occurrit. 39
A Monchio ad Regem missus. 67
Equestri dignitate ornatus. 68
Rediit adventantis Caroli nuncius. ibid.
Gul. Clarcheus *Monchio è secretis.* 28
Clarendonii *Comes Angliæ Cancellarius.* 76
Classis *Regiæ Subpræfecti.* 114
Classis *Regiæ numerus.* 115
Belgas Bergæ aggreditur. 123
In Portum victrix rediit. 134
Belgarum classem in prælio fudit. 136
Mox Belgarum littora claudit. 137
Hostium classem in Galliam insequitur. 138

Et Gallico in littore obſidit. 139
Iterum in portum redit. 143
Gr. Clementius *Senator, & Regicida plectitur.* 84
Cloberræus *Tribunus Monchii pacificator.* 24
Cobbettus *Tribunus ad Monchium miſſus.* 19
Cum Lamberto conjurat. 60
Columna *accenſæ Urbis.* 149
Concilium *Salutis ſolvitur.* 33
Jo. Coochius *Regicidarum Procurator laqueo peremptus.* 84
Conderus *Subpræfectus Belgicus in acie occiſus.* 136
Mi. Corbetti *Regicidæ pœna.* 97
Ab. Coulæi *obitus, & elogium.* 147
Hen. Coventræus *Bredæ pacificator Regius.* 146
Craveni *Comes ſævienti peſte, Londini manet.* 125
Ol. Cromvellus *Senatum præcludit.* 2
Protectoratum capeſſit. 3
Moritur. ibid.
Illius duplex ſepulchrum, in Hen. VII. *ſacello,* 86
& ſub furcas Tiburnicas. 87
Illius ortus, & mores. 88
Rich. Cromvellus *patri ſuccedit.* 3
Dignitati impar. 4
A ſuis illuſus. ibid.
De faſtigio labitur. 6
Hen. Cromvellus *Hiberniæ Præfectus Senatulo cedit.* 7

D.

DAniæ *Rex Belgis favet.* 126
Derbeæ *Comes Boothio opem fert.* 11
Desborovius *equitum Commiſſarius.* 18
Diſſidia *inter Senatores Tribunoſque orta.* 14
Inde luctuoſus Reipublicæ ſtatus. 9
Jo. Devittius *Belgarum Dictator.* 111
Illius mores, artéſque. ibid.

INDEX RERUM.

Geo. Douningius *Eques, à Carolo Hagæ Comitis legatus.* 97
Fugitivos Regicidas in Angliam remittit. ibid.
Æqua à Belgarum Ordinibus rogat, sed frustra. 109

E.

DUx Eboracensis *cum Carolo rediit.* 69
Summus Angliæ Admirallus. 76
Catharinæ Caroli sponsæ ad Vectæ Insulam occurrit. 100
Classem Regiam ducit contra Belgas. 114
Cum classe Regiâ Belgiam obsidit. 115
Cum Belgis pugnat. 118
Et Prælio fundit. 119
Opdamii navim submergit. ibid.
Alias capit, & incendit. ibid.
Accensâ Urbe Civibus opem fert. 141
Ecclesiæ *Anglicanæ* Sacra *Edicto confirmata.* 103
Egertonus *cum Boothio jungitur.* 11
Geo. Enteus *Eques Collegii Medic. Lond. Præses.* 114
Episcopi *in Ecclesiam restaurati.* 77
Episcoporum, *Doctorúmque Convocatio.* 103
Evertsæus *Zelandicæ classis Præfectus in acie cæsus.* 136
Exercitus *Anglicanus scinditur.* 15
Furat in aucti Senatûs fidem. 56
Stipendia accepit, & solvitur. 79

F.

THo. Fairfaxius *Eques Eboraci Monchio occurrit.* 38
Fairfaxius *Baro ad Regem Hagæ Comitis legatus.* 67
Monchiano Exercitu Tribunus. 28
Falklandius *Baro ad Regem legatus.* 67

Falmuthæ

Falmuthæ *Comes Belgico bello occisus.* 120
Fanatici *in Regis reditum conjurant.* 58
Tandem attoniti speculantur. 68
Illorum licentia. 104
Et nova Conjuratio. 105
Conventus Fanaticorum Edicto inhibiti. 106
De accensa Urbe commenta. 140
Fleetvodus *à Monchio pacificationem rogat.* 22
Mittit in Scotiam legatos. ibid.
Senatulo iterum submittit. 32

G.

DUx Gloceſtrenſis *cum Carolo in Angliam rediit.* 69
Londini moritur. 79
Illius Elogium. ibid.
Goffius *Tribunus ad Monchium miſſus.* 23
Tho. Greſhamii *Effigies flammis intacta.* 141
H. Grimſtonius *Communium Domo Orator.* 63
Carolo in Triclinio Regio gratulatur. 75
Gumbleus *Monchio è Sacris.* 28

H.

R. Hackerus *Tribunus, & Regicida ſuſpenditur.* 86
Jo. Harriſonius *Tribunus, & Regicida patibulo affixus.* 83
Ar. Hazelriggius *Lambertum incuſat.* 15
Portſmuthæ pro Senatulo inſurgit. 31
Londinenſi arce moritur. 96
Herbertus *Baro ad Carolum Hagæ Comitis legatus.* 67
Herefordienſis *Vicecomes ad Regem legatus.* 66
Hæreticæ *pravitatis contagioſa pernicies.* 90
Tir. Hideſius *Belgicæ claſſis Præfectus interficitur.* 136

Hollandius *Eques ad Carolum legatus.* 67
Hollisius *ad Regem missus.* ibid.
Belli Belgici pacificator regius. 146
Rob. Holmesius *Eques à Belgis læsus.* 108
Falsò accusatus. ibid.
Brandaream petit. 137
Urbem Schillingam, & naves incendit. 138
Hublethornius *Monchiano exercitu equitum Tribunus.* 28
Jo. Husonius, *Tribunus cives Londini tumultuantes fugat.* 30

I.

Ric Ingoldsbæus *Tribunus in Lambertum missus.* 61
Pugnat, & vincit. 62
Captivum Lambertum ducit. ibid.
Johnstonius *Monchio Tribunus.* 28
Jo. Jonesius *Regicida pendens plectitur.* 84
He. Iretonius *sub furcas Tiburnicas conditur.* 87
Jos. Jordanus *Eques classe Regiâ Subpræfectus.* 115
Juvenum *Londini tumultus.* 30
Gu. Juxonius *Archiepiscopus Cantuariensis.* 78
Illius elogium. ibid.
Carolum Westmonasterii inaugurat. 95

K.

Kilmurii *Comes Boothio socius.* 11
Knighteus *à Monchio pacificator Londini missus.* 24
Legionum officia ad Regem defert. 70
In Regis introitu legionum ductor. 74

INDEX RERUM.

L.

Jo. Lambertus *Tribunus in exercitum rediit.* 5
Illius ambitus. 8
In Boothium mittitur. 22
Et victor rediit. 14
Senatulum excludit. 17
In Monchium profectus. 22
Eboracum intrat, 24
Mittit Morganum Monchio pacificatorem. ibid.
Novocastrum tenet. 27
A suis desertus. 35
Londinum furtim rediit. ibid.
Londinensi arce clausus. 55
Ex carcere fugit. 59
Militum vim contrahit. 60
Edicto proscribitur. ibid.
Ab Ingoldsbæo capitur. 62
In arcem iterum Londinensem deductus. 63
Foro damnatur. 103
Regis in illum clementia. ibid.
Jo. Lausonius *pro Senatulo stat.* 8
In pyratas mittitur 110
Contra Belgas pugnat. 118
Saucius moritur. 121
Legati *ubique novum à Monchio Senatum poscunt.* 40
Gu. Lenthalius *Senatuli Orator, captivus.* 17
Illius ad Monchium oratio. 43
Libelli *famosi in prelo correpti.* 106
Lidcottus, *Tribunus Equitum.* 28
Monchii literas ad Senatulum defert. 41, & 51
Londini *tumultus.* 28
Londinenses *tributa recusant.* 48
Novi Senatûs famâ læti. 52
Et Monchium colunt. 53

Senatu-

Senatulum convitiis proſcindunt. ibid.
Ad Carolum legatos mittunt, & dona. 67
Reſtaurato Rege, nocturna Civium gaudia. 75
Londini *Incendium.* 139
Reſtinguitur. 142
De reſtaurandâ Urbe conſulitur. 146
Edm. Ludlovius *Tribunus, Henrico Cromvello in Hiberniâ ſuccedit.* 7
Ludovicus *Gallorum Rex inter Carolum & Ordines Conciliator.* 126
Poſtea Belgis opem oſtentat. ibid.
Et in Anglos claſſem parat. ibid.
Pacificationem demum ſuadet. 145

M.

MAnceſtriæ *Comes Procerum Comitiis Orator.* 63
Carolo in Triclinio Regio gratulatur. 75
Camerarius Regius. 77
Mandevillius *Baro ad Regem legatus.* 67
Maria *Orangii Princeps Carolum ad claſſem comitatur.* 69
Poſtea in Angliam venit. 91
Ex variolis Londini *moritur.* ibid.
Maria *Mater Regina in Galliâ obiit.* 150
Marlburgii *Comes contra Belgas pugnans occidit.* 121
Middleſexiæ *Comes ad Carolum Hagæ Comitis legatus.* 67
Middletonius *Eques cum Boothio junctus.* 11
Mildmaii *Regicidæ pœna.* 95
Militum *in Cromvellos perfidia.* 9
Et in Lambertum falſitas. 35
Honorarii Milites *in claſſe Regiâ.* 115
Plures cæſi. 120
Monchius *pro Senatulo contendit.* 8
Londini Tribunos incuſat. 19

INDEX RERUM.

Exercitûs sui Ductores mutat. 21
Scotiæ præsidia firmat. ibid.
Et Arma meditatur. ibid.
Scotorum Ordines alloquitur. 25
Mittit in Angliam Legatos. 24
Qui pacificationem obsignant. 26
Ille de pacificatione deliberat. 27
Novum Concillatoribus conventum poscit. ibid.
Coldstremium consedit. 27
Exercitûs sui Census. 28
Pacificationem dirimit. 33
In Angliam transit 37
Novocastrum accedit. 38
Eboraci cunctatur. ibid.
Exercitûs sui partem sub Morgano in Scotiam remittit. 39
Senatuli legatos in via excepit. 40
Ab Albani fano mittit ad Senatulum literas. 41
Fleetvodiani milites missionem ab Urbe rogat. ibid.
Londinum intrat. 42
Novum Juramentum recusat. 43
Senatum intrat. ibid.
Ejus ad Senatum oratio. 44
Senatoribus suspecta. 47
In Urbem à Senatulo mittitur. 48
Londinensibus vim offert. 49
Illius in Urbe facinus diversè notatur. ibid.
Mox Ipsi displicet. 50
Iratus ad Senatulum literas mittit. ibid.
A Londinensi Prætore convivio exceptus. 51
Cives benignè alloquitur. 52
Auctum Senatum promittit, & mox novum. 52
Suspectum habet Senatulum. 54
Senatores olim Seclusos convenit. 55
Quos in Senaculum cum præsidio mittit. ibid.
De aucto Senatu ad remotas legiones scribit. 56

In

In ædes Jacobeanas transit. 57
Illic per Greenvillum Equit. (Bathonii Comitem) Caroli literas accepit. ibid.
Regem Dubrensi in littore expectat. 69
Et de genu veneratur. 70
Summus armorum Imperator factus. 77
Et stabuli Regii Præfectus. ibid.
Postea Dux Albemarlius. *Vide* Albem. ibid.
Morlæi & Mossæi *legiones Senatulo excubias agunt.* 17
Gul. Morricius *Caroli legatum ad Monchiū inducit.* 57
Carolo è secretis. 77

N.

ANglorum Naves, *ab Hamburgo solutæ, captæ.* 117
Ed. Nicholasius *Eques Carolo è secretis.* 77

O.

JO. Ochæus *cum Lamberto conjurat.* 60
Delphis Hollandiæ captus. 97
In Angliam ductus, ad furcas Tiburnicas laqueo peremptus. 97
Dux Ormonensis *Regius Oeconomus.* 77
In Hiberniam Prorex missus. 103
In Angliam rediit. 150
Delectus Oxonii Cancellarius. ibid.
Oxonii *Comes ad Carolum legatus.* 66
Oxonienſe *Theatrum fundatur.* 149

P.

PArlamentum *longum sponte cedit.* 63
Novum à populo vocatum convenit. ibid.
Peristylium *Londinense accenditur* 141
Novum fundatur. 147
Pestis *Londini orta.* 124

Indè per Angliam graſſata. ibid.
Petrei *proditoris pœna.* 84
Priceus *Monchio è Sacris.* 28
Prideus *Regicida ſub furcas Tiburnicas ſepultus.* 87
Populus *ubique Regem optat.* 64
Portlandii *Comes Belgico bello extinctus.* 129
In ædibus Jacobeanis comprecantium Proditorum *falſitas.* 5

R.

REgiorum & *Nobilium pericula.* 10
Et molimina. 11
Lætus Reipublicæ *ſtatus ex reſtaurato Rege.* 75
Finitimi Reges *per Oratores Carolo gratulantur.* 80
Bohemiæ Regina *Carolum ad claſſem comitatur.* 69
Regicidarum *plures profugi.* 80
Dedititii alii. ibid.
Alii capti. ibid.
In jus vocati. 80
Falſo, vel fruſtrà cauſam dicunt. 82
Damnantur. ibid.
Fugientes Regicidæ damnati. 86
Deditorum pœna. 96
Regicidarum *in ſupremis vanitas.* 99
Rhedeus *Monchiani exercitûs Tribunus.* 28
Robinſonius *Senator ad Monchium Leiceſtriæ miſſus.* 40
Jo. Robinſonius *Eq. Vaneum ferocientem corripit.* 103
Robertſius *Baro Hiberniæ Prorex.* 150
Princeps Rupertus *Regiæ claſſis Præfectus.* 127
In Gallicam claſſem mittitur. ibid.
Opportunè ad ſuos rediit. 133
Pugnam cum Belgis renovat, & fugat. 134
Ruterus *Belga pyraticam ſecutus.* 121
Barbadum fruſtrà aggreditur. 122
Terram-novam inſulam vaſtat. ibid.
In Belgium rediit, Admirallus factus. 122

S.

INDEX RERUM.

S.

SAndovici *Comes Regiâ classe Subpræfectus.* 114
Belgas provocat. 122
Schrampius *classis Belgicæ Præfectus in acie cadit.* 120
Scoti *Monchio opem ostentant.* 25
Scotus *Senator ad Monchium Leicestriæ legatus.* 40
Regicida suspenditur. 84
Scroopii *Tribuni pœna.* ibid.
Senatulus *Rempublicam capessit.* 6
Rich. Cromvellum deturbat. ibid.
Tribunorum potentiam præoccupat. 7
Tributis Remp. absolvit. 15
Contumaces Tribunos exauctorat. 16
Suorum præsidium imperat. 17
A Lamberto præclusus. ibid.
In imperium rediit. 33
Coccyx Senatorius per deridiculum vocatur. 42
Lamberti exercitum revocat. 34
Monarchiam Sacramento abjurat. 43
Ad Monchii literas simulatio. 53
Monchii authoritatem elevat. 54
Quintumviratum instituit. ibid.
Aucti Senatûs *Decreta.* 55
Monchium, Imperatorem constituit. ibid.
Montacutium ad classis Præfecturam designat. ib.
Sponte solvitur. 63
Novus à Populo vocatus. ibid.
Caroli literas accepit. 65
De publicando Rege edictum. ibid.
Ad Regem legatos mittit. 66
Gil. Sheldonius *Archiepiscop. Cant. Oxonienſis Theatri fundator.* 149
Spraggius, *classe Regiâ Ductor.* 115
Stillingwolfius *Belgicæ classis Præfectus occiditur.* 120

Stræterus

INDEX RERUM.

Stræterus *Tormentorum Præfectus, Monchium de Lamberti motibus admonet.* 60
Cum Ingolsbæo junctus Lambertum insequitur. 61
Southamptoniæ *Comes Quæstor Regius.* 77
Suecorum *Rex pacificationem suadet.* 145

T.

TAlbotius *Tribunus ad Monch. missus.* 22
Templum *Paulinum flammis vastatum.* 141
Tiddimanus *in Classe Regiâ Navarcha.* 115
Tribuni *Pseudosenatum revocant.* 5
In illum mox conjurant. 16
Concilium Salutis designant. 18
Scotiæ & Hiber. legiones ad partes invitant. 19
Britanniæ Triumviratus *cum Romano comparatur.* 25
Tounsendius *Eques ad Regem legatus.* 67
Twinius *Typographus de patibulo pendet.* 106

V.

H*En.* Vaneus *Eques reus agitur.* 101
Illius mores, & gesta. ibid.
Securi percussus. 102
Furens moritur. ibid.
Venneri *victoris facinus.* 105

W.

WAllingfordianis *ædibus Pacificatores conveniunt.* 24
Rob. Wallopii *Regicidæ supplicium.* 95
Werwici *Comes ad Regem legatus.* 66
Edw. Whalæus *Tribunus ad Monchium Pacificator missus.* 22

Præsidii Rector Whethamus, *Portsmuthæ pro Senatulo insurgit.* 31
Wilchesius *Tribunus à Monchio pacis conciliator.* 24
In carcerem actus. 26

Z.

ZAnchius *Tribunus legionem in Monchium ab Hibernià ducit.* 12

FINIS.